A. CAESARIS BELLINI MACTI IURECONSULTI ACADEMICI VITERBIENSIS...

Cesare Matti



AUTHORITAS ORDINARII.



OS Ioannes Baptista Squartius j. U. D. Collen. Illustriss. ac Reverendiss. [redacted] de Gambara Cardinalis, Episcopi Viterbiensis in spiritualibus & temporalibus Vicarius generalis; Cæsaris Bellini Macti jureconsulti summam legum partitionem, & quatuor Institutionū Moralium libros cum epistola ad Lectorem, & præfatione: necnon cum carminibus Angeli Petri Turrii ad Lectorem, & ad Patriam Authoris, diligenti lectione adhibita, protestationibus, omnibusque aliis perpensis & æstimatis, ut moris, & juris est, approbamus, atque ut imprimi, impressaque vendi queant Viterbii & in Viterbiensi Diœcesi, potestatem facimus. Dat. Viterbii, ex Episcopali palatio, die vltima Martii. 1 5 6 8.



CAESAR LECTORI S.



T. si Lector humanissime, ut Apelles quanvis eximius, & excellens pictor, vel imperito etiam populo, ne dum peritis Institutionum nostrarũ judicium ab hinc plures annos committendum existimarem: tamen huic animi mei judicio non unquam ante satisfacere potui: quod ne hora quidem ulla curis unquam vacua concessa fuerit: quin immo magnis calamitatum fluctibus jactatus sum, ac demum naufragus ad litus ejectus: ubi jam nunc tandem

» tuta tenebam
» Ni gens crudelis madida cum veste gravatum
» Prensantemque uncis manibus capita aspera montis
» Ferro invasisset.

Verumenim vero has meas calamitates, molestias, indignitates æquo animo feram. Patientia, & constantia efficiam, ne his omnibus ventis erumpentibus, sævisque turbinibus pervertar. Ad sapientiam igitur, quæ una ex naufragio tabula superest, tot tantisque procellis jactatus adhærebo: ab hac nulla unquam vi divelli me finam. Deo autem Opt. Max. qui ita me exercuit, exercetque gratiam habeo: namque ut Ovidius ait.

» Hectora quis nosset, fœlix si Troja fuisset?
» Publica virtutis per mala facta via est.
» Ars tua Typhi jacet, si non sit in æquore fluctus:
» Si valeant homines ars tua Phoebe jacet.
» Quæ latet, inque bonis cessat non cognita rebus,
» Apparet virtus, arguiturque malis.

Præterea & ipsis institutionibus, haud parum hinc utilitatis & perfectionis accessit. Siquidem experientia, & usu admonitus, & prudentior factus rudem fœtũ ursino more (ut Maronis etiam me vitiis exornem) elambendo fingere sensim, paulatimque studebam. En igitur, Lector humanissime, morum doctrinam in tantis calamitatibus, in ipsa, inquam, rerũ experientia & usu recognitam, & auctam jam nunc accipe. Igniculos, quos natura parvulos hominibus dedit, recognosce: scriptis imaginibus & exemplis inflammatus excita. Cõ

A ii

cedit sacrosancta Ecclesia Romana veterum falsæ religionis cultorum lectionem, ut historicorum & poetarum exemplis admoniti virtutes amplectamur, colamus, vitia vitemus, atque fugiamus. Quicquid vero utilitatis ex istis percipi potest id omne his nostris institutionibus cōprehensum, & ex Aristotelis artium componendarum lege dispositum est. Ipsa Istitutionum generalia principia, perpetua exemplorum inductio verissima esse docebit. Quamobrem quicquid olim utilitatis post multū temporis spatium, magno cum labore, ex innumerabilibus fere authoribus percipiebas, nunc per brevi tempore: sine ullo labore, ex uno haud equidē magno volumine percipies. quin immo philosophorum disputationes & contentiones per nos valeant licet: nihil enim ex illis utilitatis ad vitæ institutionem & usum percipitur, quin multo minori spacio temporis copiosius, clarius, & certius hinc percipi valeat. Controversias, siquæ cum religione Christiana philosophiæ, studium sapientiæ, ac veritatis professu sunt tollimus: omnia in rem illius, unde profecta sunt, vertimus. Aurum, thus & myrrham CHRISTO una cum Magis offerimus, idest, honestatem animi artium, rerumque omniū cognitionem, & usum. Deoque summam suavitatem, quæ ex his animo capitur, idest, mel primum addicimus. Aegyptios ab omni auro, atque argento vacuos reliquimus. Hanc prædam omnem multis vigiliis, maximis laboribus partam in societatem Christianam conferimus: Nec te Deorum appellatio conturbet: cum Deum pro sua per varias rerum naturas pertinente potentia variis nominibus appellari Stoici disputent apud Ciceronem secundo de natura Deorum. His igitur interim nostris laboribus fruere: naturamque & leges hoc eodem ordine, eademque doctrinæ methodo & brevitate dispositas, & in artem coactas & conclusas expecta. Cæterum theologos oro, ne ex verborum & ordinis commutatione institutionum nostrarum judicium faciant: sed mentem voluntatemque nostram perpendant, & æstiment. Etenim morum doctrinam ex hominum falsæ religionis colentium, naturalique solum lumine viventium experientia & usu, ut exempla perpetua declarant, colligere volui: quæ velut cor-

pus umbra sucĉte sole religionem Christianam constaretur: Cum eam hominibus vim natura inesse divinorum; veritatisque summus ille speculator Paulus capite primo ad Romanos testificetur. Præterea Platonis, Ciceronis, Stoicorumque & aliorum quatenus quisque usui & experientiæ consentire videtur, modo verba, modo mentem sequimur, ut adnotationum ad has ipsas Institutiones libri docebunt. Quamobrem quod Christianæ religioni consentit, velut nostrum arcte teneamus, accurateque defendamus: Deoque gratiam habeamus, qui divinum certe, & naturale lumen nobis impertivit, quo veritatem lustrare valeamus. Quod dissentit, humanam conditionem nostrã arguat, quæ per se sine afflatu divino, ne vix quidem ad suam ipsius perfectionem evadere potest. Vale.

Dat. Viterbii Calend. Mart. M. D. LXVIII.

AUTHORIS DENUNTIATIO.

VELIM ii, qui ad nostrarum Institutionum lectionem accedent, in eam illas partem accipiant, in quam cætera philosophorum opera accipi solent. Tum si quid usquā animos ipsorum offendet: id diligenter perpendant, & æstiment: & offensionem illam certo scio, evitabunt. Quod si forte secus accidat, aut se mentem nostram parum intelligere, aut a me aliud quam velim verbis expressum: aut denique quidvis aliud cogitent, licet, quam a Sacrosancta Romana Ecclesia quid alienum pro certo statui, & decerni. Cui nō Institutionum modo moralium, verum omnium etiam scriptorum, dictorumque meorum interpretationem emendationemque & correctionem committo: cum qua una, si id fieri potest, errare malo, quam cum quavis aliena sententia recte sentire.

Angelus Petri Turrius ad Lectorem.

Divini simulachra tui si Cæsaris optas
  Cernere: doctrinæ, corporis, atque animi:
Perlege limatam devota mente sophiam:
  Sic erit omnino cognitus ipse tibi.
Invenies nullum logicæ qui dogmata scribens,
  Altius erudiat nescia corda virum.

Idem ad Patriam Cæsaris.

Invideas ulli non est, quod Palladis artes:
  Cæsare nanque tuo jam celebrare satis.
Objice, disertos quæ demirantur alumnos,
  Urbibus: est Cæsar primus in arte mihi
Ocia, qui vitæ, redditumque affectat Olympo,
  Hoc duce (crede mihi) Cæsare victor erit.
Hic mores hominum: naturamque ætheris alti:
  Atque aperit summi numina magna Dei.
Jurisconsultum siquis tibi laudibus effert:
  Cæsar adest nobis gloria prima refer.
Doctorum numerum siquis Mariane recenset:
  Cunctorum Cæsar pondus & instar habet.

A. CAESARIS BELLINI MACTI IURECONSULTI ACADEMICI VITERBIENSIS INSTITUTIONUM MORALIUM

PRAEFATIO AD MICHAELEM BONELLUM CARDINALEM DIGNISSIMUM:


NIMAL sagax,& providum,quem vocamus hominem, præclara adeo conditione factum est a supremo Deo, ut in terris nullum monumentũ clarius constituerit; quam hunc effigiem naturæ suæ, ac bonitatis ho/minem. Siquidem rationem ei attribuit;quę una cum Angelo communioni cuidam naturæ subjiceretur; & proprietatibus Deo ipsi germanissimis exornaretur. Qua non solum quidvis percipere, & excogitare; verum etiam animi tranquillitatem consequi valeat:quę ipsa est beata vita. Hæc pars est,quæ Græcis *ἠθική* dicitur: Latini de moribus nominant: Cicero etiam Moralem vocat: quo & nos pro Latino una cum Cicerone augente linguam Latinam utamur licet. Quæ pars proprie definiri potest, virtus honeste vivendi. Virtus vero est,ut Cicero scribit & recte, absoluta sive perfecta ratio. Qua nihil a Deo hominibus tributum est,neque præstantius,neque divinius. Etenim ut Grammatica quidvis recte loquimur, Dialectica

providemus, æstimamus, & judicamus: sic Morall honestatem tuemur, & conservamus; vitaque secundum bonitatem Dei persimili fruimur. Quamobrem virtutem tam præstantem, tamque præcellentem a natura institutam; ut quod imbecillius per seipsam efficit; certius multo constantiusque efficere queat; doctrinæ propriis & idoneis præceptis instruere; instructam per exercitationem in opus educere, atque ita absolvere summo studio debemus. Sed qui artem naturalis propensionis ad honeste vivendum fines quo usque progredi possint intuentem; & præceptis ad usum naturæ congruentibus interpretantem dissolutam, aut diffusam late conglutinaverit; vel ignotam in veritatis lucem constituerit, non dum quenquam deprehendere potui. Qui causas, inquam, vitæ honestæ; quæ propria artis hujus materia est; è naturali hominum bene viventium usu selectas definitionibus perstrinxerit: easque perspicuis & illustribus testimoniis & exemplis illustraverit; non alio demonstrationis genere probandas susceperit. Eas ab universa & generali ad subjectas & singulares deduxerit; ut tota res facilius doceri percipique posset. Generalem & universam declarationem præposuerit; qualis est definitio, & summa quædam comprehensio: tum subjecerit specialem per distributionem partium explicationē: postremo partium singulariũ; quo ordine propositæ sunt; definitionem, & ex idoneis exemplis illustrationem. Nullum verum artis præceptum omiserit: nullum inutile posuerit. Quæ principiorum conclusio tanti Aristoteli visa est; ut hanc istam unicam reapse, non ostentationis aut quæstus causa sciendi rationem, viamque judicaverit pite secundo primi de Demostratione. Nimirum ex qua excellens illa, & Aristoteli maximopere la-

tudata doctrina sequitur affirmata. Hanc nos provinciam quanvis difficillimam suscepimus: maximæ studiorum utilitatis communium spe labores quidem infinitos, & experienti tantum credibiles pertulimus. Itaque generalem honeste vivendi artem definitione complectimur: justitiæ, temperantiæ, fortitudinis, prudentiæ partibus primũ distinguimus: deinde unius cujusq; partis singulas particulas suo loco & ordine persequimur: postremum idonea, perspicua; & illustria testimonia, & exempla subjicimus: quæ nobis cicero, Cæsar, Terentius, Sallustius, Virgilius, sed & alii authores, quos Latine præcipienti sequi licuit, scripta reliquerunt. Doctrinæ virtutes, ut propria, perspicua, certa, vera, consentanea esset, retinere: contraria vitia, ne obscura, ne ambigua, ne falsa, ne incõsequens esset, procul arcere conatus sum. Istam igitur morum doctrinam editurus diu mecum ipse cogitavi: alicui eam principi dicarem nec ne. Nam etsi animum ad Pium Quintum Pont. Max. adjeceram, verum tamen verebar, in tantis Reip. Christianæ molestiis, tãtoque hæresum tumultu ut ad quietum eum adire posset. Nemini vero eam deberi existimabam; quin compertum haberem, talem esse, vbi honestatis exempla, quæ hic scripta legũtur, recognosci, atque oculis cerni possent: Hunc vero nusquam me reperturum verebar: nam quod studia literarum magis, quam difficiles principũ aditus me delectant: sedensque domi referentibus respondendi munus sustineo; principum familiaritates, exploratasque naturas nullas habeo. Itaque potius legentium arbitrio committendum putabam, ut quisque unde sibi videretur, viventis alicujus authoris exempla peteret; quam ipse temere aliquid affirmarem. Sed ex itinere proposito & jam constituto cõstans om

nium fama clara voce revocavit, eam tibi deberi, nec sine summo scelere auferri posse prædicans. Quippe qui Pium quintum tantum talemq; virum semper tibi in vita instituenda proponens, animum, & mẽtem tuã ipsa cogitatione tot tantarumque excellentium virtutum conformaveris: eundemque vitæ cursum instituens ad eum tibi locum aditum feceris; unde ille in summum rerum humanarum culmen ascendens decesserat. Sed quando istam utriusque vestrum comparationem ingressus sum; libet eam altius repetere. Florentes olim atque beatæ Ghisileriorum & Cannetulorum amplissimæ familiæ inter se sanguine conjunctæ fuerunt. Illius partem hanc universam una eademque calamitas oppressit: patriæ finibus excedere; pristini splendoris & claritatis universæ jacturam facere; speq; omnem erigendi se se abjicere coegit. Itaque dum tenues Cannetulorum reliquiæ exules & dissipatæ jacent: tantæque Bononiensis familiæ lumen in Francisco egregio sacræ theologiæ magistro apud societatẽ servientium divæ Mariæ Virginis, summi cõsilii, summæque prudentiæ & sanctitatis viro majorum ruina & cineribus opprimitur: dum Ghisileriæ familiæ pars omnino extinta putatur: tum iste è majorum suorum calamitatibus & ruinis emergens, sua propriaque tantum virtute nitens ad eum sibi gradum aditum fecit: unde non modo tanquam sol exortus obscuratis cęteris syderibus, ex Ghisileriis adhuc hærẽtibus in patria solus appareat: eorũ, quos ruina oppressit, Ghisileriorum & Cãnetulorum memoria intermortua per eum floridior (ut ita dicam) reviviscat: ac tanquam plantæ solis calore evocatæ herbescentem, florescentemq; viriditatem ostentet: sed Bononiam etiam ipsam, civitatem per se nobilissimam, splendidissimamque mul

eo quidem nobiliorem splendidioremque reddat. Tu vero spernens omnia in societatem Divi Dominici te conjecisti; cultuique divino addixisti: ubi tanta cum opinione doctrinæ, tanta cum fama sanctimoniæ versatus es; ut summo Purpuratorum omnium consensu dignus habitus sis, qui præter spem Romam accersitus in collegium ipsorum cooptareris: idque omnes apud Pontificem Max. precibus agerent; assiduitateque obtinuerint vel ipso Pontifice diu renuente: Tum cooptatus ea prudentiæ, & sapientiæ signa dedisti; ut Pius quintus, Pont. inquam, Optimus administrandi Pontificatus participem, socium in consiliis capiendis, adjutoremque te in rebus agendis constituerit. Quamobrem tanta cum æquitate Remp. Christianam regis & moderamini, ut canamus una cum Poeta vere jam nunc liceat.

jam redit & virgo redeunt saturnia regna

Multa, maximaque semper Societatis divi Dominici beneficia in Remp. Christianam fuerunt: siquidem ea Christianæ prædicationis officium sibi sumpsit. Hinc divus Thomas theologorū eruditissimus, ac facile princeps extitit. Hinc summum illud Raymundi ingenium: qui mirificam illam inveniendæ veritatis artem excogitavit tanto cum acumine; ut rari in multis seculis reperiantur; qui jam inventa & descripta uti sciant, vel intelligere queant: quam fortassis aliquando, si commoditas unquam fuerit; cujus maximo nunc desiderio afficior; facilem ipse reddere conabor; Hinc ille Albertus magnus; hinc Capreolus; hinc Herucus; hinc Thomas Anglicus; hinc Dominicus & Petrus Soti profecti sunt. Prætereo, ne longus sim, doctissimum illum Thomam Cajetanum Purpuratum: Prætereo Paulinum Lucensem, Nicolaum Alexium, Vincentium Herculanum non solum doctrina Florentes,

verum etiam vitæ ſanctimonia præſtantes: innumerabilia item alia divina atq; fœliciſſima ingenia; quibus iſta ſocietas fœcunda Remp. Chriſtianam ornavit, ornatque. Quæ maxima quidem beneficia, ut ſunt, ita eſſe videntur: ſed ut verum fatear, hoc iſtud, quod nũc contulit, reliqua omnia multum longeque ſuperat. Etenim ſalutaribus Reip. Chriſtianæ præceptis in cõcilio; quod apud Tridentum habitum eſt; quam optime conſtitutis; quæritur qui ea conſervari; homines ad ipſorum obſervationem allici poſſint. Ecce Societas divi Dominici virum cœleſtem atque divinũ ſummo Pontificatui offert: cujus egregia doctrina Reip. chriſtianæ conſtitutiones defendi, & ab injuria vindicari queant: cujus principis honeſtiſſimæ, atque ſanctiſſimæ vitæ exemplo homines inſtruantur, & alliciãtur · cujus charitate, æquitate, & manſuetudine in fidẽ contineantur. Eademet Societas adminiſtrationis adjutorem ſubminiſtrat: qui illius divini viri contemplatione animum mentemque ſuam conformet.

Itaque priſtina jam nunc Eccleſiæ facies reſtituitur: Pontifices omnes ad ovium cuſtodiam ſibi mandatam redeunt. Regi Gallorum ad hęreſes extirpandas pecunia ſuppeditatur: auxiliumque eidem per vos, ut olim Hebræis per Moyſen, a Deo petitur. Sed ſi omnia ſingillatim attingere velim, opus inſtitutionibus majus conficiã: quamobrem ſcribendi finẽ faciam. Ex iis igitur, quæ dicta ſunt, intelligimus has inſtitutiones tibi jure meritoque deberi; quippe qui ampliſſimo dignitatis atq; honoris gradu locatus cũctis lumen animi, ingenii, cõſiliique tui porrigis atque tendis. quamobrem eas in ære tuo eſſe ducas; in fidem clientelamque ſuſcipe; ſarctas tectaſque, ut dicitur, conſerva.

A. Cæſaris

A. CAESARIS BELLINI MACTI IURECONSULTI ACADEMICI VITERBIENSIS INSTITUTIONUM MORALIUM

LIBER I.



ARS Moralis, eſt doctrina honeſte vivendi. ut vi etiam nominis intelligitur. Mos enim (unde moralis dicitur) eſt inſtitutum animi, quod ſequi debeat conſuetudo. Honeſte, ideſt congruenter, & ſecundum naturã: Vivendi, ideſt, cogitandi, & rationem exercendi: cui tanquam ancillulæ, & pediſſequæ corporis, fortunarumque obſequia adjunguntur: unde officia exiſtunt. Omne autem, quod honeſtum eſt, quatuor virtutibus oritur ex his, juſtitia, temperantia, fortitudine, & prudentia. Quæ quatuor quanquam inter ſe colligatæ, atque implicitæ ſunt; tamen ex ſingulis certa officiorum genera naſcuntur.

JUSTITIA AC PRIMUM DIVINA.

Juſtitia, eſt virtus moralis jus ſuum cuique tribuens. Jus, eſt bonum & æquum. Hic eſt ille ſenſus diligendi, & benevolentiæ charitas, quam Cicero ſcribit, a natura gigni. Hæc eſt ſecundum naturam vita beata; hæc eſt vitæ hujuſce beatitudo. Dicitur vero juſtitia, quod in munere animi exequendo verſatur. Juſtitiam ut plurimum fere comitatur humanitas; de qua poſtea; nunc

ipsius distributio duplex notanda est. Distribuitur enim primum in divinam, & humanam. Divina dicitur justitia, quæ circa Deum occupatur: quæ distribuitur in sanctimoniam, & pietatem.

SANCTIMONIA AC PRIMUM SPES.

Sanctimonia, est justitia divina, quæ Deo adhærescit. Deo autem adhærescere, est omnem vitam ad Deum referre, & in eo consumere. Cujus tria sunt genera spes, sanctitas, & religio. Spes, est sanctimonia bene sibi a Deo evenire sperans. Sic Socrates missus ad mortem bene
Tuscul. 1. ,, sibi evenire sperat: ut est apud Ciceronem. Socrates ,, ait, ut est apud Platonem, cum se morte mulctatum ,, videret: magna me spes, inquit, tenet, Iudices, bene ,, mihi evenire, quod mittar ad mortem: sed tempus ,, est jam hinc abire me, ut moriar; vos, ut vitam agatis. Sic Aeneas tempestate jactatus socios conso-
Aeneid. 1. ,, latur. Virgilius.

,, O socii (neque enim ignari sumus ante malorum)
,, O passi graviora dabit Deus his quoque finem:
,, Vos & Scylleam rabiem: penitusque sonantes
,, Accestis scopulos: vos & cyclopea saxa
,, Experti: revocate animos; moestumque timorem
,, Mittite: forsan & hæc olim meminisse juvabit.
,, Per varios casus: per tot discrimina rerum
,, Tendimus in latium: sedes ubi fata quietas
,, Ostendunt: illic fas regna resurgere Trojæ:
,, Durate: & vosmet rebus servate secundis.

SANCTITAS.

Sanctitas, est sanctimonia, quæ Deo mentem addicit. Sic Horatius, qui Epicuro animum addixerat, cum eum religionis neglectæ pœniteret, mentem ad cultum divinum adjicit. Horatius.

„ Parcius Deorum cultor; & infrequens
„ Insanientis dum sapientiæ
„ Consultus erro: nunc retrorsum
„ Vela dare: atque iterare cursus
„ Cogor relictos.

sic Helenus apud Virgilium monet Aeneam, ut ad junonem animum adjiciat. Aeneid. 3.

„ Præterea (si qua est Heleno prudentia vati;
„ Si qua fides; animum si veris implet Apollo)
„ Unū illud tibi, Nate Dea, præque omnibus unū
„ Prædicā: & repetens iterūque, iterūque monebo
„ Junonis magnæ primum prece numen adora.

RELIGIO.

Religio, est sanctimonia, quæ mentem Deo addictam præcibus, justisque operibus conservat. unde religio dicta est; quod sanctitatem continuo quasi relegere videtur. Sic Helenus monet Aeneam ut amicam sibi junonem præcibus & donis conservet, ut est apud Virgilium. Aeneid. 3.

„ Junoni cane vota libens, dominamque potentem
„ Supplicibus supera donis: sic denique victor
„ Trinacria fines Italos metiere relicta.

Sic major minorem Aphricanum hortatur, ut spectet semper cœlestia. Cicero. Hæc ego admirans (ait
„ minor somnium referens) referebam tamen oculos In somnio
„ ad terram identidem. Tum Aphricanus, sentio, in- Scip.
„ quit, te sedem etiam nunc hominum contemplari, ac

„ domum: quę si tibi parva ut est; ita videtur; hæc cœlē„ stia semper spectato: illa humanā contemnito. Quāobrem spe, sanctitate & religione absolutis sanctimonia perfecta est. Hic est funiculus ille triplex; funiculus, inquam, ex spe, sanctitate, religioneque connexus; quo solo animam ad Deum religatam trahere debemus: sic Cyrenes apud Virgilium præcipit, ut Protheo vincula adhibeamus.

Georg. 4.

„ Hic tibi, Nate, prius vinclis capiendus; ut omnē
„ Expediat morbi causam: eventusque secundet.
„ Nam sine vi non ulla dabit præcepta, neque illū
„ Orando flectes: vim duram, & vincula capto
„ Tende: doli circū hæc demū frangentur inanes.

Siquidem omnibus fortunæ varietatibus, animique perturbationibus superatis bene tandem a Deo eveniet ultro: sic enim Virgilius

Ibidem

„ Omnia transformat sese in miracula rerum;
„ Ignēque, horribilēque feram, fluviūque liquentē
„ Verum ubi nulla fugam reperit fallacia; victus
„ In sese reddit: atque hominis tandē ore locutus;
„ Nam quis te juvenum confidentissime nostras
„ Jussit adire domos? quidve hinc petis? inquit: at ille
„ Scis protheu, scis ipse: neque est te fallere cuiquā:
„ Sed tu desine velle. Deum præcepta secuti
„ Venimus huc lapsis quæsitum oracula rebus.
„ Tantum effatus.

Hactenus de sanctimonia, de pietate nunc dicendum restat.

PIETAS.

Pietas, est justitia divina Deum agnoscens. Cujus tria sunt capita. Primum caput est, Deum esse. Sic

Vellejus, ut est apud Ciceronem, Deum esse fatetur. Dcor lib. 1 De nat
» Quod igitur, inquit, fundamentum hujus, quæstionis
» est, id præclare jactum videtis: cum enim non insti-
» tuto aliquo, aut more, aut lege sit opinio constituta:
» maneatque ad unum omnium firma consensio; intel-
» ligi necesse est; esse Deos: quoniã insitas eorũ, vel po-
» tius innatas cognitiones habemus: de quo autẽ om-
» nium natura consentit: id verum esse necesse est: esse
» igitur Deos confitendum est. Sic etiam Cotta Deum
esse apud eundem fatetur. Placet enim, inquit, om- Ibidem
» nibus fere; mihique ipsi in primis, Deos esse, itaque
» non pugno.

Alterum caput est, mundum ab Deo esse, & admini-
strari. Sic Balbus apud Ciceronem, Deum mundi pro
creatorem & conservatorem agnoscit. Dico igitur
, ait, providentia Deorum mundum, & omnes mun-
» di partes & initio constitutas esse, & omni tempore
» administrari. Virgilius cuncta a Deo vitam habere, Aeneid. 6.
» & regi memoriæ prodidit.

» Principio cœlum, ac terras, cãposque liquentes,
» Lucentẽque globum Lunæ, Titaniaque astra
» Spiritus intus alit: totamque infusa per artus
» Mens agitat molem; & pleno se corpore miscet.
» Inde hominũ, pecudũque genus; vitæque volantũ
» Et quæ marmoreo fert monstra sub æquore põtus
» Igneus est ollis vigor, & cœlestis origo:
» Seminibus quantum non noxia corpora tardant;
» Terrenique hebetãt artus, moribuundaq; mẽbra

Huc spectat illud, Deum rebus humanis consulere, ut
Trojani, Neptuni providentia & auxilio servantur, ne
in Circem incidant. sic enim Virgilius. Aeneid. 7.

» Quæ ne monstra pii paterentur talia Troes

" Delati in portus; neu littora dira subirent
" Neptunus ventis implevit vela secundis:
Pro Rabir. " Atque fugam dedit; & præter vada fervida vexit.

Sic Cicero de jove optimo max. cæterisqne Diis, Deabusque immortalibus loquens; Quorum ope, ait, & auxilio multo magis hæc Respublica, quam ratione hominum & consilio gubernatur. Hinc Virgilius.
Geor lib. 1.

" Atque hæc ut certis possimus discere signis,
" Aestusque, pluviasque, & agentes frigora ventos:
" ipse pater statuit; quid menstrua luna moneret:
" Quo signo caderent austri: quid sæpe videntes
" Agricolæ propius stabulis armenta tenerent.

Sic Cicero memoriæ prodidit; neminem virum magnum sine aliquo afflatu divino unquam fuisse,

Tertium caput pietatis, est; Deum justis hominum præcibus auscultare, donaque respicere. justis, idest, Deo convenientibus. Sic Ovidius Deum homines exaudire fatetur.
Fast. lib. 5.

" Sæpe Deos aliquis peccando fecit iniquos,
" Et pro delictis hostia blanda fuit.
" Sæpe jovem vidi, cum jam sua mittere vellet
" Fulmina, thure dato sustinuisse manum.

Aeneid. 9. Sic jupiter Ascanii præces exaudit Virgilius.

" juppiter omnipotens audacibus annue cœptis:
" Ipse tibi ad tua templa feram solennia dona:
" Et statuam ante aras aurata fronte juvenum
" Candentem; pariterque caput cum matre ferētē
" jam cornu petat, & pedibus qui spargat arenam.
" Audiit; & cœli genitor de parte serena
" Intonuit lævum.

Hactenus de justitia diuina, cujus prętantiam excellentiamque sanctimonia sibi vendicat: Nam si sancti-

Tu

monia constiterit, pietatem esse, est necesse: non contra: tametsi in agendo contra accidit: pietas enim sit prius in vita necesse est; quam sanctimonia Deo adhereseat: De justitia humana nunc dicendum.

JUSTITIA HUMANA.

Humana dicitur justitia, quæ circa homines occupatur. Cujus distributio duplex notanda est. Prima in probitatem, & liberalitatem;

PROBITAS.

Probitas, est justitia humana, quæ turpia detestatur. Sic Sexti Peducei probitas a Cicerone laudatur. ut De finib. 2.
„ Sextus Peduceus Sexti F. is, qui hûc nostrum reliquit
„ effigiem & humanitatis & probitatis suæ filium; tum
„ doctus; tum omnium vir optimus, & justissimus; cum
„ sciret nemo eum rogatum a C. Plotio equite Roma-
„ no, splendido Nursino, ultro ad mulierem venit; eique
„ nihil opinanti viri mandatum exposuit; hæreditatē-
„ que reddit. At contra Tubuli improbitas ab eodem Ibidem
„ notatur. An tu me, inquit, de L. Tubulo putas dice-
„ re? qui cum Prætor quæstionem inter sicarios exer-
„ cuisset: ita aperte cœpit pecunias ob rem judicādam;
„ ut anno proximo P. Scevola Tribunus Plebis ferret ad
„ Plebem: vellentne de ea re quæri: quo Plebiscito de
„ creta a Senatu est Consuli quæstio Cn. Scipioni, Pro-
„ fectus in exilium Tubulus statim· nec respondere au-
„ sus: erat enim res aperta. Ex probitate fit, ut pudorem rubor consequatur; qui maxime ornat mulibrem conditionem, adolescentiumque ætatem. Sic lavi-

uT

„ nia matrem lamentantem, orantemque generum, ne
„ cum Teucris decertaret, manumque consereret, au
Aeneid. 12. „ audiens erubuit pudore affecta: ut est apud Virgiliū.
„ Accepit vocem lachrymis Lavinia matris
„ Flagrantes perfusa genas: cui plurimus ignem
„ Subjecit rubor; & calefacta per ora cucurrit.
„ Indum sanguineo veluti violaverit ostro
„ Siquis ebur: vel mixta rubent ubi lilia multa
„ Alba rosa; tales virgo dabat ore colores.

Hinc facinorum conscientia & dolor proficiscitur; quæ animum stimulat, agitatque ac terret: unde & scelerum furiis agitatus Orestes.

„ Hæc est illa in facinorosos justitiæ facies quam poetæ
„ tradidere, gravis atque severa.

LIBERALITAS.

Liberalitas, est justitia humana benigne faciens indigentibus Benigne, idest, bene, & digne: siquidem bene facta male locata, malefacta putanda sunt. liberalitas aut in exemplo, aut in re consistit.

LIBERALITAS IN EXEMPLO.

Liberalitas in exemplo consistere dicitur, cum honeste agendo aliis exemplo est ad honeste vivendum: unde æmulatio bona oritur Aeneas monet Ascanium, ut majorum suorum claritate excitetur ad virtutem: sic enim
Aeneid. 12 Virgilius.

„ Disce puer virtutem ex me, verumque laborem;
„ Fortunam ex aliis, nunc te mea dextera bello
„ Defensum dabit; & magna inter præmia ducet.

Tu

„ Tu facito mox: cum matura adoleverit ætas;
„ Sis memor, & te animo repetentem exēpla tuorū
„ Et pater Aeneas, & avunculus excitet Hector.

Sic principum mores aliis obsunt, vel prosunt: qua de re Cicero copiose & graviter. Non tantum mali est, inquit, peccare principes (quanquam est magnum per (De legib. Lib. 3.)
„ seipsum malum) quantum illud, quod per multi etiam
„ imitatores principū existunt. Nam licet videre quæ-
„ cunque mutatio morū in principibus extiterit, eandē
„ in populo secutam. Nobiliū enim vita, victuque mu-
„ tato, mores civitatis mutari solent. Nec solum vitia
„ concipiunt ipsi principes: sed ea infundunt in ciuita-
„ tem: neque obsunt, quod solum ipsi corrumpūtur: sed
„ etiam quod corrumpunt: plusque exemplo, quam pec
„ cato nocent. Pauci enim, atque admodum pauci ho
„ nore & gloria amplificati vel corrumpere mores civi-
„ tatis, vel corrigere possunt. Hic illud monendum est

cum propter virtutem honeste agimus, tametsi speciatim istius liberalitatis cogitationem subire non videmur, tamen reapse id consequitur. Hæc pars liberalitatis longe omnium dignissima, & præstantissima est: quippe quæ latissime patet, & in omni actione honesta versatur; nec unquam fontem ipsum benignitatis exhaurit. & quo pluribus profuerit; eo plures ad benigne faciendum adjutores habebit. Huc illud spectare videtur, quod de Catone Lucanus memoriæ prodidit. (Lib. 2)

„ Hi mores, hæc duri immota Catonis
„ Secta fuit, seruare modum; finemque tenere,
„ Naturamque sequi; patriæque impendere vitam:
„ Nec sibi, sed toti genitum se credere mundo.

AEMULATIO BONA.

Aemulatio bona virtutes aliorum percupide imitatur. Sic Marcus Crassus virtute ab aliis vinci ægre ferebat. Cicero M. Crassus in oratione, quam contra collegam censor habuit, dicebat. Quæ natura, aut fortuna darentur hominibus, in iis se vinci posse, æquo animo pati. Quæ autem ipsi sibi homines parare possent, in iis rebus se pati vinci non posse. Sic dolere se ajebat Demosthenes, si quando opificum antelucana victus esset industria. Hinc gravis illa apud Ciceronem Clodiæ reprehensio sumitur. Appium Claudium cæcum loquentem inducit. Non ne te, ait, si nostræ imagines viriles nō commovebant, ne progenies quidem mea. Q. illa Claudia æmulam domesticæ laudis in gloria muliebri esse admonebat? Non virgo illa vestalis Claudia, quæ patrem complexa triumphantē ab inimico Tribuno Plebis de curru detrahi passa nō est? Cur te fraterna vitia potius, quam bona paterna & avita, & vsque a nobis cum in viris, tum etiam in fœminis repetita moverunt.

De Orat. lib. 2.

Cic. Tusc. 4.

Pro cœlio.

LIBERALITAS IN RE AC PRIMUM OPERAE ANI.

Liberalitas in re consistere dicitur, cum aliquid cōfert in indigentē. Eaque collatio operæ est, aut pecuniæ. Atque illa in industria, & functione aliqua cōsistit, quę animi est aut corporis. Industria & functio animi in consiliis & præceptis versatur. Sic Demea ille Terentianus filium instruit, eique vitæ honestæ præcepta & consilia tradit.

In Adelp.

D. fit sedulo.
Nihil prætermitto, consuefacio, denique
Inspicere tanquam in speculum vitas omnium

" jubeo : atque ex aliis sumere exemplum sibi
" Hoc facito. S. Recte sane D. Hoc fugito. S. Callide
" D. Hoc laudi est S. Istęc res est D. Hoc vitio datur
" S. Probissime. D. Porro auté. S. Nō hercle otiū est
" Nunc mihi auscultandi.

Sic Birria servus Carino consulit, ut id operam det, q̄ amorem ex animo moveat. Terentius in Andria.

" B. Quæso ædepol Carine, quoniam id fieri, quod
" vis, non potest: velis est.
" Quod possit. C. Nihil aliud nisi Philumenā volo
" B. Ah, ah, quanto satius est, te id operam dare
" Qui istū amoré ex animo moveas tuo, q̄ id loqui.
" Quo magis libido frustra incendatur tua?

Huc utilia salutariaque doctrinæ præcepta, quibus recte vivendi ratio comprehenditur, & adjuvatur, a scriptoribus memoriæ tradita pertinent. quo Cicero spectat; Quanquam si plane, inquiens, sic verterem Platonem aut Aristotelem, ut verterunt nostri poetæ fabulas: male, credo, mererer de meis civibus, si ad eorum cognitionem divina illa ingenia transferrem: sed id neque feci adhuc: nec mihi tamen, ne faciam, interdictum puto. Huc exhortationes & cōsolationes etiā referuntur. Hæc pars illi proxima est: aliorū vero excellē tissima, atque p̄stantissima: quippe quæ latissime patet: & in quā plurimos uno eodemque tempore conferri potest: nec fontem ipsum benignitatis exhaurit. De finib. lib. 1.

LIBERALITAS IN FUNCTIONE CORPORIS

Liberalitas in functione corporis consistens corpore auxilium præstat. Sic Acestes Entello, qui ceciderat, auxilium fert. Virgilius. Aen. 5.

„ Entellus vires in ventum effudit; & ultrò
„ Ipse gravi, graviterque ad terram pondere vasto
„ Cōcidit; ut quondā cava concidit, aut Erimātho
„ Aut ida in magna radicibus eruta pinus.
„ Consurgunt studiis Teucri, & Trinacria pubes.
„ It clamor cœlo; primusque accurrit Acestes;
„ Aequęvumque ab humo miserans attollit amicū

Quo in genere eorum maxime liberalitas excellit; qui ut operam suam præstent, ad non dubiam mortem cō currunt. sic persæpe Romani non modo ductores sed universi etiam exercitus ad mortem pro patria concurrerunt. Cicero. Quanquam quid opus est in hoc philosophari: cum rem non magnopere egere philosophia videamus? quoties non modo ductores nostri; sed universi etiam exercitus ad non dubiam mortem concurrerunt? quæ quidem si timeretur; non L. Brutus arcens eum reditu Tyrannum; quem ipse expulerat; in prælio concidisset: non cum Latinis decertans pater Decius; cum Hetruscis filius; etiam cū Pyrrho nepos, se hostium telis objecissent: non ullo bello pro patria cadentes Scipiones Hispania vidisset. Paulum Aemilium Cannæ: Venusia Marcellum: Latini Albinum: Lucani Gracchum. Sic Socrates recte vivendo, & consulendo, mori maluit; quam contra conscientiam admonendo, vitæ consulere. Huc spectat opera, quæ collatum beneficium accipiendo conferentis liberalitati favet; indigentiamque suam sublevat: sic Xenocrates Alexandri liberalitatem minime aspernatus est, ut est apud Ciceronem. Xenocrates cum legati ab Alexandro quinquaginta ei talenta attulissent, quæ erat pecunia (temporibus illis, Athenis præsertim maxima; adduxit legatos ad cœnam in

Tuscul. 1.

Tuscul. 5.

„ in Academiam: iis apposuit tantum, quod satis esset,
„ nullo apparatu. Cum postridie rogarent eum, cui
„ numerari juberet. Quid? vos hesterna, inquit, coe-
„ nula non intellexistis, me pecunia non egere? quos
„ cum tristiores vidisset xxx minas accepit, ne asperna-
„ ri Regis liberalitatem videretur. Sed liberalitas ero-
gantis benefacientisque gloriosior ista: quamobrem
Cicero recte: Ex quo profecto, inquit, intelligi debet; Pro Marcello.
quanta in dato beneficio sit laus; cum in accepto tan-
ta sit gloria.

LIBERALITAS PECUNIAE.

Liberalitas pecuniæ in erogatione omnium corporũ,
quæ patrimonio contineri queunt, versatur: quin etiã
juris; ut obligationum, ut habitationis; quæ hospitali
tatem continet. Aratus dicitur maximã in hoc ge-
nere liberalitatis laudem consecutus; ut Cicero me-
moriæ prodidit. At vero Aratus Sicyonius jure lau- De offic. lib 2.
„ datur; qui quum ejus civitas quinquaginta annos a
„ tyrannis teneretur: profectus Argis Sicyonem, clan-
„ destino introitu urbe est potitus: quumque tyr num
„ Nicoclem improviso oppressisset, sexcẽtos exules, qui
„ fuerant ejus civitatis locupletissimi, restituit: Remque
„ publicam adventu suo liberavit. Sed quum magnam
„ advertisset in bonis & possessionibus difficultatem;
„ quod & eos, quos & ipse restituerat, quorum bona alii
„ possederant, egere iniquissimũ arbitrabatur: & quin-
„ quaginta annorum possessiones movere non nimis
„ æquum putabat; propterea quod tam longo spatio
„ multa hæreditatibus; multa emptionibus; multa do-
„ tibus detinebantur: sine injuria judicavit; neque illis

" adimi; neque his non satisfieri, quorum illa fuerant, " oportere. Quum igitur statuisset opus esse ad eam " rem constituendã pecunia: Alexandriam se proficisci " velle dixit: remque integrã ad redditum suũ jussit esse. " isque celeriter ad Ptolæmeũ suum hospitem venit, qui " tum regnabat alter post Alexandriã conditã: cui quũ " exposuisset patriã se liberare velle, causãque docuisset " a Rege opulento vir summus facile impetravit, ut grã" di pecunia adjuvaretur: quã quum in Sicyonem attu" lisset, adhibuit sibi in consiliũ quindecim principes; cũ " quibus causas cognovit, & eorũ, qui aliena detinebant " & eorũ, qui sua amiserant: perfecitque æstimãdis pos" sessionibus, & ut persuaderent aliis, ut pecuniã accipe" re mallent, & possessionibus cederet: aliis ut cõmodius " putarent, numerari sibi, quod tanti esset, q̃ suum recu" perare, ita perfectũ est; ut omnes constituta cõcordia " sine querela discederent. O virum magnũ, dignumq; qui in nostra Republica natus esset? Sic Dido Carthaginẽsiũ Regina Trojanos tẽpestate in Lybiã ejectos recipit hospitio, necessariaque subministrat. Virgilius.

Aened. 1.

" Quare agite, o tectis juvenes succedite nostris: "
" Me quoque post multos similis fortuna labores "
" Jactatam, hac demum voluit consistere terra "
" Sic memorat: simul Aeneam in regia ducit "
" Tecta: simul Divum templis indicit honorem. "
" Nec minus interea sociis ad littora mittit "
" Viginti tauros: magnorum horrentia centum "
" Terga suum: pingues centum cũ matribus agnos: "
" Munera lætitiamque dii. "

De offic. lib 1.

Sic Cymon apud Ciceronem laudatur ex Theophrasto. Theophrastus quidẽ scribit, Cymonem Athenis etiã in suos curiales Laciadas hospitalẽ fuisse. ita enim

„ instituisse, & villicis imperasse, ut omnia præberentur
„ quicunque Laciades in villã suã divertisset. Hæc pars
„ liberalitatis tametsi reliquarũ facillima, omniũ tamen
„ postrema est: quãquam enim in omnibus inest gratifi
„ candi voluntas; tñ illæ ex virtute; hæc ex arca depro-
„ mitur: quippe quæ fit ex re familiari: & fonte ipsum be
„ nignitatis exhaurit: ita benignitate benignitas tolli-
„ tur, quæ cum in alios uteris, in alios uti non potes.

PERORATIO LIBERALITATIS.

De liberalitate satis, quæ non solũ in rebus gravibus, verum in jocis et & ludis versatur ad alios juvandũ: sed habet multas cautiones: videndũ est enim primum, ne obsit benignitas & iis ipsis; quibus videbitur benigne fieri, & cæteris: nam qui aliis nocent; ut in alios liberales sint; non benefici: neque liberales, sed perniciosi judicãdi sunt. Deinde illud considerandũ est, ut pro dignitate cujusque tribuatur: in quo mores erunt spectandi ejus; in quem beneficium confertur. Demum non expectandũ, ut rogemur: sed mature sponte præveniendũ: sic Tytirus Virgilianus Melibœo hospitium atque cœnam offert. Virgilius. Eclog. I.

„ Hic tamen hac mecũm poteris requiescere nocte
„ Fronde super viridi, sunt nobis mitia poma
„ Castaneæ molles, & pressi copia lactis.
„ Jam summa procul villarũ culmina fumant,
„ Majoresque cadunt altis de montibus umbræ.

Hinc Martialis Baccharam, notat qui omnia polliceretur, & nihil præstaret. Lib. 7

„ Si quid opus fuerit: scis me non esse rogandum
„ Bis nobis dicis Bacchara, terque die
„ Appellat rigida tristis me voce Secundus;
„ Audis; sed nescis Bacchara, quid sit opus.

" Pensio te coram petitur, clareque, palamque;
" Audis; sed nescis Bacchara, quid sit opus.
" Esse queror gelidasque mihi, tritasque lacernas;
" Audis; sed nescis Bacchara, quid sit opus.
" Hoc opus est; subito fias ut sydere mutus
" Dicere ne possis Bacchara, quid sit opus.

JUSTITIA HUMANA COMMUNIS AC PRIMUM GENERALIS.

Altera justitiæ humanæ distributio est in communem & propriam. Communis, quæ ad multos pertinet, quæ rursus generalis, aut specialis est. justitia humana igitur universa seu generalis est, cum ad universitatem quandam, & hominum communionem pertinet. Ad universum orbem terrarum spectat mors CHRISTI, & summa Pontificis maximi potestas: sed exempla proferamus; qualia nobis authores hi quibus adhuc sumus usi, suppeditant, ut illustriorem locum faciamus? Speciem quandam potestatis in universum orbem terrarum Respublica Romanorum retinuisse videtur: quippe quæ ob potentiam, quam habebat maximam, socios & provincias regere, Reges & alios delinquentes coercere, & in officio continere poterat: quod Virgilius videtur in sexto Aeneidis innuere: inquit enim.

" Tu regere imperio populos Romane memento:
" Hæ tibi erunt artes: pacique imponere morem;
" Parcere subjectis, & debellare superbos.

in bello ju- Sic Adherbal majestatis Populi Romani dicit esse injuriam prohibere. Sallustius. Tamen erat majestatis

statis populi Romani prohibere injuriam: neque pati cujusquam regnum per scelus crescere. Sic Galli de injuriis Ariovisti ad Cæsarem quæstum venerunt, ut sibi auxilium ferret. Cæsar. Hominem esse barbarum, iracundum, temerarium: non posse ejus imperia diutius sustineri: nisi quid in Cæsare, populoque Romano sit auxilii, omnibus Gallis idem esse faciendum; quod Helvetii fecerunt; ut domo emigrent: aliud domicilium, alias sedes, remotas a Germanis petant: fortunamque, quæcunque accidat, experiantur. Sic Cæsar Ptolæmei & Cleopatræ controversias pertinere ad populum Romanum putavit; ut ipsemet scribit. Interim controversias regum ad pop. Romanum, & ad se, quod esset consul, pertinere existimans; atque eo magis officio suo convenire, quod superiore consulatu cum patre Ptolæmeo & lege & S. C. societas erat facta, ostendit sibi placere Regem Ptolæmeum, atque sororem ejus Cleopatram exercitus, quos haberent, dimittere, & de controversiis jure apud se potius, quã inter se armis disceptare. In Africam universam Philænorum charitas fratrum videtur fuisse; qui pro totius Africæ vtilitate se vivos obrui passi sunt: sic enim Sallustius. Qua tempestate Carthaginienses pleræque Aphricæ imperitabant, Cyrenenses quoque magni atque opulenti fuere ager in medio arenosus una specie, neque flumen, neque mons erat; qui fines earũ discerneret; quæ res eos in magno diuturnoque bello inter se habuit: postquam utrinqe legiones, item classes sæpe fusæ, fugatæque, & alteri alteras aliquantum attriverant: veriti ne mox victos, victoresque defessos alius aggrederetur, per inducias sponsionem faciunt, uti certo die legati domo proficiscerentur: quo in lo-

Lib. 1. de bello Galli

Lib. 3. de bello civil.

De bell. jugur.

„ co inter se obvii fuissent; is communis utriusque po-
„ puli finis haberetur. Igitur Carthagine duo fratres
„ missi; quibus nomen Phylænes erat; maturavere iter
„ pergere: Cyrenenses tardius iere. id socordia ne, an
„ casu acciderit, parum cognovi. Cæterum solet in illis
„ locis tempestas haud secus, atque in mari retinere:
„ nam ubi per loca æqualia, & nuda gignentium ventus
„ cohortus arenam humo excitavit; ea magna vi agita
„ ta ora, oculosque implere solet; ita prospectu impedi-
„ to morari iter. Postquam Cyrenenses aliquanto po-
„ steriores se se vident ob rem corruptam domi pœnas
„ metuunt; criminari Carthaginienses ante tempus
„ domo digressos: cõturbare rem: denique omnia mal-
„ le; quam victi abire. Sed cum Pœni aliam conditio-
„ nem tantummodo æquam peterent; Græci optionem
„ Carthaginiensibus faciunt; ut vel illi, quos fines popu
„ lo suo peterent; ibi vivi obruerentur; vel eadem con-
„ ditione se se, quem in locum vellent, processuros. Phi
„ læni conditione probata, seque vitamque suam Reip.
„ condonavere: ita vivi obruti: hactenus ille. Hinc
Plato disserit; Principem aliquem esse, qui universo terrarum orbi præsit, necesse esse; qui aliorum principum controversias inter se componat.

JUSTITIA HUMANA SPECIALIS.

Justitia humana specialis ad partem universitatis, & communionis alicujus hominum pertinet qualis Miseni charitas est erga Trojanos, qui in navi excussa magistro remanserant. Sic enim Virgilius.

Aeneid. 6. maria aspera juro.

Non ullum pro me tantum cœpisse timorem;
Quam tua ne spoliata armis, excussa magistro
Deficeret tantis navis surgentibus undis.

Item Petreji charitatem in partem aliquam legionis Cõmen. 7. Cæsar ita describit. Quoniam, inquit, me una vobi- de bell. scum servare non possum; vestræ quidem certe saluti Gall. prospiciam; quos cupiditate gloriæ adductus in periculum deduxi: vos data facultate, vobis consulite: simul irrupit in medios hostes, duobus interfectis, reliquos a porta paulum submovit: conantibus auxiliari suis, frustra, inquit, meæ vitæ subvenire conamini; quē jam sanguis, viresque deficiunt. ita pugnans post paulum concidit, ac suis saluti fuit.

JUSTITIA HUMANA PROPRIA.

Justitia humana propria, dicitur, quæ circa singulos homines occupatur. Sic Aeneas patri, filio, atque uxori consulit: Virgilius. Aeneid. 2.

Hæc fatus latos humeros, subjectaque colla
Veste super, fulvique insternor pelle leonis:
Succedoque oneri. dextræ se parvus julus
Implicuit: sequiturque patrem non passibus ęquis
Pone subit conjux: ferimur per opaca locorum

Hactenus de altera justitię humanæ distributione, singulisque partibus dictum est: unde non singulorum hominum ratio tantum speciatim habetur: verum universitatis etiam & communionis cujusque. Hinc leges gentium, & civiles cum communes, tum proprię institutæ: hinc rerum familiarium, & domesticarum præcepta excogitata; & tradita doctrina est. Hinc Reges; hinc reliqui principes, & magistratus afflatu

divino instituti. Hinc in domibus patresfamiliarum extiterunt. Hinc hominum singulorum in singulos homines beneficia innumerabilia profecta sunt. Si verò contentio quædam fiat,& comparatio,cui plurimum tribuendum sit charitatis justitia generalis primum sibi locum vendicet: tum specialis: propria sit omnium postrema: sic Cicero domui, fratriqe salutē civium suorum,Remque publicam anteposuit. Cum omnium,inquit,perditorum,& conjuratorum incitata vis duce Tribuno Plebis: consulibus auctoribus,afflicto senatu, perterritis equitibus Romanis, suspensa ac solicita tota civitate, non tam in me impetum facere; quam per me in omnes bonos: me vidisse, si vicissem,tenues Reip. reliquias,si victus essem nullas futuras. Quod cum judicassem, deflevi conjugis miseræ dissidium, liberorum charissimorum solitudinem;fratris absentis amantissimi,atque optimi casum; subitas fundatissimæ familiæ ruinas:sed his omnibus rebus vitam anteposui meorum civium: remque publicam cōdere unius discessu, quam omnium interitu occidere malui. Sic Marcus Attilius Regulus juratus missus ad Senatum de captivis secum commutandis, reddi captivos negavit esse utile: illos enim adolescētes esse & bonos duces,se jam confectum senectute: cujus quū valuisset auctoritas,captivi retenti sunt, ipse Carthaginem rediit: neque vero tamen ignorabat se ad crudelissimum hostem,& ad exquisita supplicia proficisci. Cæterum si paria sunt hoc certe maxime officii est,ut quisque maxime opis indigeat: & quid quisque nobis cum,& sine nobis possit consequi; aut non possit;ita ei potissimum opitulemur. Tum,ut quisque re aliqua conjunctissimus erit, ita ei plurimum tribua

Pro domo sua ad pōt.

Cice. de offici. 3.

mus: quales ſunt primum ii, qui in eadem ſunt domo, qui ſpectant in nos ipſos, neque alios poſſunt habere perfugium: deinde bene covenientes propinqui, amici: quos ſequantur ii, qui ejuſdem ſunt civitatis propinquiores deinde ejuſdem gentis nationis linguæ.

OBSERVANTIA.

Altera juſtitiæ diſtributio nunc ſequitur in obſervantiam & gratiam. Obſervantia, eſt juſtitia, quæ dignitate aliqua antecedentes, cultu quodam atque honore dignatur. Virgilius.

„ Tu major, tibi me eſt æquum parere Menalca. Eclog. 5.

Sic Adherbal Jugurtham natu majorem primo loco „ dignatur, ut eſt apud Salluſtium. Sed Hiempſal, qui De bello „ minimus ex illis erat; natura ferox, etiam ante ignobi- Jugur. „ litatem Jugurthæ, quia materno genere impar erat, „ deſpiciens dextra Adherbalem adſedit: ne medius ex „ tribus, quod apud Numidas honori ducitur, Jugur- „ tha foret: deinde tamen, ut ætati concederet, fatiga- „ tus a fratre vix in alteram partem traductus eſt. Sic Lacedæmoniorum legati, & Senatus Romanus apud Ciceronem a Catone laudantur. Lyſandrum Lace- „ dæmonium, cujus modo mentionẽ feci, dicere, ajunt, De Senect. „ ſolitum Lacedæmone eſſe honeſtiſſimum domiciliũ „ ſenectutis: nuſquam enim tantum tribuitur ætati; „ nuſquam eſt ſenectus honoratior: quin etiam memo- „ riæ proditum: cum Athenis ludis quidam in theatrũ „ grandis natu veniſſet: in magno conſeſſu locum ei a „ ſuis civibus nuſquam datum: cum autem ad Lacedæ- „ monios acceſſiſſet; qui; cum legati eſſent; in loco cer- „ to conſederant; conſurrexiſſe omnes; & ſenem illum

" sessu recepisse: quibus cum a cuncto consessu plausus
" esset multiplex datus, dixisse ex iis quendam; Athe-
" nienses scire, quæ recta essent, sed facere nolle. Mul-
" ta in nostro collegio præclara: sed hoc, de quo agi-
" mus, in primis; quod ut quisque ætate antecellit; ita
" sententiæ principatum tenet: neque solum honore an
" tecedentibus; sed iis etiam, qui cum imperio sunt, ma
" jores natu Augures anteponuntur.

GRATIA.

Gratia, est justitia, quæ beneficiorum memoriam & remunerandi voluntatem continet. Sic quondam tempestate vexati nautæ Deo munus aliquod offerebant: cujus ope sibi viderentur ad portum perducti: sic enim poeta.

Aeneid. 12

" Forte sacer Fauno folii oleaster amaris
" Hic steterat; nautis olim venerabile lignum:
" Servati ex undis ubi figere dona solebant
" Laurenti Divo, & votas suspendere vestes

Sic Evander Anchisis liberalitatis in se memoriam retinet; Aeneamque filiū illius remuneratur. Virgilius.

Aeneid. 8.

" Ille mihi insignem pharetram, Lyciasque sagittas
" Discedens, clamidemque auro dedit intertextā;
" Frenaque bina; meus quæ nūc habet aurea Pallas
" Ergo & quam petis, jūcta est mihi fœdere dextra:
" Et lux cum primum terris se crastina reddet
" Auxilio lætos dimittam, opibusque juvabo.

Sic Virgilius beneficii ab Augusto in se collati memoriam sempiternam sibi futuram scribit.

Eclog. 1.

" Ante leves ergo pascentur in æthere cerui;
" Et freta destituent nudos in littore pisces;

" Ante pererratis amborum finibus exul
" Aut Ararim Parthus bibet; aut Germania Tygrī
" Quam nostro illius labatur pectore vultus.

In gratia illud maxime est animadvertendum, quod cum sint merita; ut non ineunda, sed referenda sit gratia, major quædam cura adhibenda est: nullum enim officium referenda gratia magis necessarium est. Interdum observantia & gratia simul junguntur: cum ex meritis quis aliquo honore dignatur. Sic Municipes italiæ Cæsarem ab illo universæ Galliæ bello primum venientem incredibili honore, atque amore excipiunt: ut est apud Oppium. Exceptus est Cæsaris adventus ab omnibus Municipiis, & Coloniis incredibili honore, atque amore: tum primum enim veni/ Cōme Cæs 8. de bell. Gall.
" ebat ab illo universæ Calliæ bello: nihil relinquebatur; quod ad ornatum portarum, itinerum, locorumque omnium; qua Cæsar iturus erat, excogitari posset Cum liberis omnis multitudo obviam procedebat; hostiæ omnibus locis immolabantur; tricliniis stratis fora, templaque occupabantur: ut vel expectatissimi triumphi lætitia percipi posset: tanta erat magnificentia apud opulentiores, cupiditas apud humiliores.

Hinc apud Romanos triumphi, hinc ovationes, hinc coronæ, cæterique honores & præmia simul virtutis extiterunt. Hæc altera justitiæ distributio, & ad Deū & ad homines æque pertinet: quin etiam ad mentes intelligentes, divinosque nuntios; quippe quos & naturæ præstantia antecedentes observamus; quod item de nobis bene merentur, ipsis gratias agimus: necnon ad divinos atque cœlestes Heroes attinet: Sed prima distributionis pars præstantior, atque excellentior est.

HUMANITAS.

Reliqua nobis est justitiæ fidissima quidem, & certe nec injucunda, nec inutilis comes humanitas, quæ dexteritate quadam benevolentiam, charitatemque exprimit. Idque verbis, vultu, corpore denique toto. Sic Scipionem Masinissa lachrymans præ gaudio cõplectitur, verborumque suavitate prosequitur; ut ipsemet Scipio narrat apud Ciceronem. Ad quem ut veni, complexus me senex collachrymavit; aliquantoque post suspexit in cœlum: gratias, inquit, tibi ago summe sol, vobisque reliqui cœlites; quod antequam ex hac vita migro, conspicio in meo regno, & his tectis P. Cornelium Scipionem; cujus ego nomine ipso recreor: nunquam ex animo meo discedit illius optimi, atque invictissimi viri memoria. Sic Aneas socios Carthagine repertos humaniter excipit: Virgili. sic fatus amicos.

In somnio

Aeneid. 1.

Ilionea petit dextra, levaque Serestum;
Post alios fortemque Gian, fortemque Cloanthũ.

Nec solum hilaritate, sed lachrymis etiam & moerore humanitas declaratur: quamobrem Servius Sulpitius ad Ciceronem: Qui si istic, ait, affuissem; neque tibi defuissem, coramque meum dolorẽ tibi declarassem. Hinc proverbium illud apud veteres emanavit; quod est apud Ciceronem Vultu sæpe læditur pietas. Hinc & orationis ornatus, & orationis apta pronunciatio corporis item actio instituta est.

Pro Ros. Amer.

PERORATIO JUSTITIAE.

Sed de singulis justitiæ partibus, & earum generibus

ſatis: præſtantiam, excellentiamque juſtitia erga Deũ ſibi vendicat: nam ſi hæc eſt; cæteras eſſe juſtitiæ partes neceſſe eſt; non contra: quippe quæ cæteras juſtitiæ partes complectitur: & ad quam omnes referuntur; non contra. Dein, ſi cætera paria ſint, juſtitia erga reliquos cœlites: Quæ ad homines tantum ſpectat omnium poſtrema eſt. Quamobrem intelligimus: quemadmodum eſt prima homini cum Deo juſtitiæ ſocietas atque communio. In quam Deus, cum res omnes, quæ ſunt unquam, homineſque ipſos confert: quod talentum eſt; quod nobis exercendum committitur: Tum a malo ad bonum revocat: Hoc nimirum eſt illud, quod de Socrate accepimus; quodque ab ipſo in libris Socraticorum ſæpe dicitur; eſſe divinum quiddam, quod Dæmonium appellat; cui ſemper ipſe paruerit nunquam impellenti, ſæpe revocanti. Homines vero non cogitationes tantum in eam ſocietatem ſuas conferunt, ſed actiones, rerumque omnium etiam uſum, fructumque & utilitatem. Iſtius autem ſocietatis hominibus gratia divina, atque cœleſtis obvenit; per quam ad cœlum, ad ſummum, inquam, bonum adipiſcendum patet aditus. Sic Aeneæ geminæ Veneris columbæ præſentiam ſuam exhibent; avernumque lacum fugiendum indicant: quas ille dum ſequitur, ad optatum ducitur aureum ramum; per quem patet aditus ad campos elyſios: ut eſt apud Poetam.

Cice. de di vin. lib. 1.

Aeneid. 6.

» Atque hæc triſti ſuo cum corde volutat
» Aſpectans ſylvam immẽſam, & ſic forte precatur:
» Si nunc ſe nobis ille aureus ex arbore ramus
» Oſtendit nemore in tanto; quando omnia vere,
» Heu nimium de te Vates, Miſene, locuta eſt.

„ Vix ea fatus erat: geminæ cum forte columbæ
„ Ipsa sub ora viri coelo venere volantes;
„ Et viridi sedere solo: tum maximus heros
„ Maternas agnoscit aves: lætusque precatur
„ Este duces, o si qua via est, cursumque per auras
„ Dirigite in lucos, ubi pinguem dives opacat
„ Ramus humum: tuque o dubiis ne defice rebus
„ Alma parens: sic effatus vestigia pressit
„ Observans; quæ signa ferant; quo tendere pergāt
„ Pascentes: illæ tantum prodire volando;
„ Quantum acie possent oculi servare sequentum.
„ Inde ubi venere ad fauces grave olentis averni
„ Tollunt se celeres; liquidumque per aera lapsæ
„ Sedibus optatis, gemina super arbore sidunt;
„ Discolor unde auri per ramos aura refulsit.

Idem ibidem

„ Quod si tantus amor menti; si tanta cupido est;
„ Bis stygios innare lacus: bis nigra videre
„ Tartara: & insano juvat indulgere labori;
„ Accipe quæ peragenda prius: latet arbore opaca
„ Aureus, & foliis, & lento vimine ramus,
„ Junoni infernæ dictus sacer: hunc tegit omnis
„ Lucus, & obscuris claudunt convallibus umbræ
„ Sed non ante datur, telluris operta subire;
„ Auricomos quam quis decerpserit arbore foetus,
„ Hoc sibi pulchra suum ferri Proserpina munus
„ Instituit.

Altera hominum inter se justitiæ societas & communio est: quæ animos voluntatum concordia devincit, atque obstringit: unde amicitia nominatur; quippe quæ animos inter se amore quodam constringit: efficitque id; quod Pythagoras vult in amicitia; ut unus

fiat ex pluribus: quare verus amicus dicitur esse; qui est alter idem. Sic Damonis & Pythiæ amicitia commendatur, ut est apud Ciceronē. Damonē & Pythiā Pythagoreos ferunt hoc animo inter se fuisse; ut quum eorum alteri Dionysius tyrannus diem necis destinavisset: & is, qui morti addictus esset, paucos sibi dies commendandorum suorum causa postulavisset: vas factus sit alter ejus sistendi: ut si ille non revertisset ad diem; moriendum esset sibi ipsi. Qui quum ad diem se recepisset; admiratus eorum fidem tyrannus petivit ut se in amicitiam tertiū adscriberent. Sic apud Virgilium Nisus se solum authorem factæ cædis profitetur; ut pro amico moreretur. De offic. A Lib. 3. Aened. 9.

Me me, adsum qui feci: in me convertite ferrum
O Rutuli: mea fraus omnis: nil iste: nec ausus
Nec potuit.

Hinc accubationes epulares amicorū extiterunt; quæ vitæ conjunctionem habent: unde convivia nominātur unde Martialis differit, Marco nullos amicos esse: quod nullam ipse justitiæ societatem & communionē cum aliis contrahat. Lib. 6.

Quod non sit Pylades hoc tēpore, nō sit Horestes
Miraris: Pylades, Marce, bibat idem.
Nec melior panis: turdusve dabatur Horesti;
Sed par, atque eadem cœna duobus erat.
Tu Lucrina voras: me pascit aquosa Peloris:
Non minus ingenua est & mihi, Marce gula.
Te Cadmæa Tyros; me pinguis Gallia vestit:
Vis te purpureum, Marce, sagatus amem?
ut præstem Pyladem, aliquis mihi præstet Orestē
Hoc non fit verbis: Marce, ut ameris, ama.

utranque Ilioneus communionem conjungit; cum

apud Didonem queritur de Pœnis; quibus hominum cum Deo societatis justitiæ, ne dum hominum inter
Aeneid. 1. se, non veniret in mentem: sic enim Poeta (more
» Quod genus hoc hominũ? quæve hũc tã barbara
» Permittit patria? hospitio prohibemur arenæ:
» Bella cient: primaque vetant consistere terra.
» Si genus humanum, & mortalia temnitis arma:
» At sperate Deos memores fandi, atque nefandi.

Sed hæc altera societas ad primam illam pertinet; quemadmodum peculia servorum ad dominum: ex cujus solius voluntate constituuntur, administrantur, & ad quem solum referuntur, spectantque. Hæc virtus omnium nobilissima est, & ad quam cæteræ referuntur omnes: ut qui sit eam consecutus, reliquas omnes sit assecutus. Atque is tum vera voluptate fruitur gaudetque in tam placido, tamque constanti motu occupatus. Verissime igitur Plato memoriæ prodidit a homine justo nihil esse Deo similius.

A. CAESARIS BELLINI MACTI

IURECONSULTI ACADEMICI VITERBIENSIS INSTITUTIONUM MORALIUM

LIBER. II.



Emperantia, est virtus moralis, quæ in actionibus justis ordinandis, moderandisque versatur: ut vi etiam nominis intelligitur: temperare enim (unde temperantia dicta est) & ordinare, moderari, regere, atque gubernare unum idemque valent. Temperantiæ duæ sunt partes convenientia, & modestia.

CONVENIENTIA AC PRIMUM DECUS.

Convenientia, est prior pars temperantiæ, quæ in accommodatione actionum idonearum versatur. Cujus duæ sunt partes decus, & opportunitas. Decus, est prior pars convenientiæ pro conditione personæ. Eaque sua propriaque est, aut aliena. Decus pro conditione personæ suæ propriæque, aut commune est, aut proprium. Commune, est, quod ad multos pertinet. quod rursus generale, aut speciale est. Decus universale seu generale est, cum universo generi humano convenit. Sic Atheniensibus honestatis ratio habita est. Cicero. Themistocles, ait, post victoriam ejus belli, quod cum Persis fuit, dixit in concione De offic. lib. 3.
» se habere consilium Reipublicę salutare, sed sciri opus

„ nō esse, postulavit, ut aliquem populus daret: qui cum
„ communicaret: datus est Aristides. Huic ille classem
„ Lacedæmoniorum, quæ subducta esset ad Gythium,
„ clam incendi posse: quo facto frangi Lacedæmonio-
„ rum opes necesse esset: quod Aristides cum audivisset, in concionem magna expectatione venit: dixitque perutile esse consilium, quod Themistocles afferret; sed minime honestum: Itaque Athenienses quod honestum nō esset; id ne utile quidem putarunt: totamque
„ que eam rem; quam ne audiverant quidem; auctore Aristide repudiaverunt. Hinc virilis, & muliebris cōditionis ratio habenda: quamobrem Socrates recte: sic enim Cicero: Cum Socrati scriptam orationem di

De Orat. lib. 1.

„ sertissimus orator Lysias attulisset: quam, si ei videretur,
„ retur, edisceret; ut ea pro se in judicio uteretur: non
„ invitus legit, & cōmode scriptam esse dixit. Sed, in-
„ quit, ut si mihi calceos Sycionios attulisses; non vte-
„ rer; quanvis essent habiles & apti ad pedem: quia non
„ essent viriles, sic illam orationem disertam sibi, & ora-
„ toriam videri, fortem & virilem non videri. Hinc Ci

De arusp. responsl.

cero in P. Clodium invehitur. P. inquam: Clodius sa
„ cra & religiones negligi, violari, pollui questus est.
„ Non mirum si hoc vobis ridiculum videtur. etiam sua
„ concio risit, hominem, quomodo ipse gloriari solet,
„ ducentis cōfixum S. C. quæ sunt omnia contra illum
„ pro religionibus facta, hominemque eum, qui pulvi-
„ naribus Bonæ deæ stuprum intulerit, eaque sacra; quæ
„ viri oculis ne imprudentis quidem aspici fas est; non
„ solum aspectu virili, sed flagitio stuproque violarit, in
„ concione de religionibus neglectis conqueri.

Speciale decus pluribus quidem sed non omnibus hominibus congruit, ut Deum precari ad bonos pertinet.

Sic Aeſchinus mavult Mitionem patrē, quam ſe, Deū precari. Terentius in Adelphis.

Aeſch. Abi pater

„ Tu potius Deos cōprecarī:nā tibi eos certe ſcio (gis

„ Quo vir melior multo es,q̄ ego,obtēperaturos ma

Horatius Phyllirin notat;quippe quæ Pontificum munus uſurparet. Carmi. 3

„ Nam quæ nivali paſcitur Algido
„ Devota quercus inter & ilices;
„ Aut creſcit Albanis in hortis:
„ Victima Pontificum ſecures
„ Cervice tinguet: te nihil attinet
„ Tentare multa cæde bidentium
„ Parvos coronantem marino
„ Rore Deos,fragilique myrto
„ Immunis aram ſi tetigit manus
„ Non ſumptuoſa blandior hoſtia
„ Mollibit averſos penates
„ Farre pio,& ſaliente mica.

Hinc apud Romanos jus minime fuit, qui miles non eſſet;pugnare cum hoſte: ſic enim Cicero. Pompilius De offi.li.1
„ imperator tenebat provinciam,in cujus exercitu Ca-
„ tonis filius tyro militabat: quum autem Pompilio vi-
„ deretur unam dimittere legionem; Catonis quoque
„ filium qui in eadem legione militabat, dimiſit: ſed
„ quum amore pugnandi in exercitu remanſiſſet: Cato
„ ad Pompilium ſcripſit: ut ſi eum pateretur in exercitu
„ remanere,ſecundo eum obligaret militiæ ſacramento
„ quia priore amiſſo jure pugnare cum hoſtibus non po
„ terat: adeo ſumma erat obſervatio in bello movendo
„ Marci quidem Catonis ſenis eſt epiſtola ad Marcum
„ filiū:in qua ſcripſit,ſe audiſſe, cum miſſum factum eſſe

„ a Consule, quum in Macedonia bello Persico miles
„ esset. Monet igitur; ut caveat; ne prælium ineat: ne-
„ gat enim jus esse; qui miles non sit; pugnare cum ho-
„ ste. Sic ætatum, temporumque ratio habẽda: ut Ho-
„ ratius monet, & recte.

De arte poetica.

„ Multa ferunt anni venientes commoda secum;
„ Multa recedentes adimunt: ne forte seniles
„ Mandentur juveni partes: pueroque viriles:
„ Semper in adjunctis, ævoque morabimur aptis

Hinc in Republica sacerdotum, judicum, militum, mercatorum item & opificum primæ partitionis ratio habenda: hinc sacerdotum, judicum, militum, & reliquorum generum varii gradus animadvertendi: singulisque ordo suus, honorque servandus: ac suum cuique munus tuendum. Unde gravis illa militum apud Cæsarem increpatio. Hæc, ait, cum animadver-

Lib. 1. de bello Galli

„ tisset Cæsar; convocato concilio; omnium ordinum
„ ad id concilium adhibitis Centurionibus; vehemen-
„ ter eos incusavit: primum, quod aut quam in partem;
„ aut quo consilio ducerentur, sibi quærendum, aut co-
„ gitandum putarent. Item aliquanto post. Qui suum
„ timorem in rei frumentariæ simulationem, angustias-
„ que itineris conferrent; facere arroganter: cum de of-
„ ficio imperatoris desperare, aut præscribere auderent
„ Hinc Apelleum illud, NE SUTOR UITRA
„ CREPIDAM. unde Horatius.

quod medicorum est

„ Promittunt medici: tractant Fabrilia fabri.

Decus proprium dicitur, quod ad unum aliquem tantum pertinet. Accius poeta Julio Cæsari amplissimo

Vale. max lib. 3. cap. 7

„ & florentissimo viro in collegio poetarum venienti
„ nunquam assurrexit, nõ majestatis ejus immemor: sed

quod

„ quod in comparatione communium studiorum aliquanto superiorem se esse confideret: quapropter insolentiæ crimine caruit: quia ibi voluminum, nō imaginum certamina exercebantur. Ad hanc autem decoris proprii rationem, quoniam maximam vim natura habet, fortuna proximam, utriusque omnino ratio habenda est: sed naturæ magis: multo enim & firmior est, & constantior: ut fortuna nonnunquam ipsa mortalis cum immortali natura pugnare videatur: quisque igitur primum ad naturæ suæ non vitiosæ genus, tum fortunæ, consilium conferat. Sic CHRISTVS genus humanum Deo reconciliavit. Sic Octavius Augustus in orbe terrarum aurea secula constituit. Virgilius. Aene li. 6.

aurea condet
„ Secula qui rursus Latio, regnata per arva
„ Saturno quondam; super & Garamātas, & Indos
„ Proferet imperium: jacet extra sydera tellus
„ Extra anni, solisque vias, ubi cælifer Atlas
„ Axem humero torquet stellis ardentibus aptum.

Huc labores Herculis pertinent, quos multos maximosque orbem terrarum peragrans in monstris interficiendis pertulit. Hinc illud Ciceronis de Scipione Tusc. 2.
„ Africano. Scipio Aphricanus Socraticum Xenophontem in manibus semper habebat: cujus in primis laudabat illud, quod diceret eosdem labores non esse æque grandes imperatori, ac militi; quod ipse honos laborem leviorem faceret imperatorum. Hinc illud Horatii præceptum. De arte poetica.
„ Sumite materiam vestris; qui scribitis; æquam
„ Viribus: & versate diu, quid ferre recusent;
„ Quid valeant humeri.

Tusc. lib. 1. hinc bene, inquit Cicero, illo proverbio Græcorum præcipitur

" Quam quisque norit artem: in hac se exerceat.

DECUS PRO PERSONAE ALIENAE CONDITIONE.

Decus pro conditione personæ alienæ rationem illius habet, cujus gratia q.d agitur. quo spectat illud, quod dicebat Isocrates doctor singularis, se calcaribus in Ephoro, contra autem in Theopompo frænis uti solere. Alterum enim exultantem verborum audacia reprimebat, alterum cunctantem, & quasi verecundantem incitabat. Sic Scipio in eligendo præfecto personæ rationem habet; ut est apud Ciceronem. Cum ab eo quidam vetus assectator, & ex numero amicorũ non impetraret, ut se præfectum in Africam duceret: & id ferret moleste; Noli, inquit, mirari, si tu a me hoc non impetras, ego jam pridem ab eo; cui meam existimationem charam fore arbitror, peto, ut mecũ præfectus proficiscatur, & adhuc impetrare nõ possum.

Cicero De Orat. lib. 3.

In verrem lib. 4.

OPPORTUNITAS.

Hactenus de decore; nunc sequitur altera convenientiæ pars opportunitas, quæ in observatione temporis idonei versatur. Tempus vero idoneum dicitur, cum cessatio videlicet obest, aut prodest actio. Opportunitatis ratio duplex habenda est. Altera, quod in temporum inclinationibus sæpe parvis posita est. ubi omnia momenta observabimus. Sic Fabius in Salinatorem jocatus est. Cicero. Fabius Salinatori; qui amis-

" ſo oppido fugerat in arcem; glorianti, atque ita dicēti, De ſenect.
" mea opera Q. Fabi. Terentum recepiſti: certe, inquit;
" ridens, niſi tu amiſiſſes; nunquam recepiſſem. Sic P. Rutilium; qui veſtem mutaverat, neceſſitatis excuſatio defendit: Cicero. Facilius certe P. Rutilium Ru- Pro C. Rabri. doſthu
" fum neceſſitatis excuſatio defendet: qui cum a Mithri
" date Mitylenis oppreſſus eſſet; crudelitatem Regis in
" togatos veſtis mutatione vitavit. Ergo P. Rutilius;
" qui documentum fuit hominibus noſtris virtutis, anti
" quitatis, prudentiæ; conſularis homo ſoccos habuit, &
" pallium: nec vero ideo id homini tum quiſquam, ſed tempori aſſignandum putavit. Huc pertinet occaſio de qua illud memoriæ proditum eſt.

Fronte capillata: poſt hæc occaſio calva.

occaſionem ſequitur dolor quidam præteritæ ceſſationis vel actionis alieno tēpore ſuſceptæ. In utrūq; ſimulacrū extat Auſonii nobile epigrāma: eſt autem hoc.

" Cujus opus? Phidiæ, qui ſignum Pallados; ejus
" Quique jovem fecit: tertia palma ego ſum.
" Sum Dea; quæ rara: & paucis occaſio nota.
" Quid rotulæ inſiſtis? ſtare loco nequeo.
" Quid talaria habes? volucris ſum. Mercuriuſque
" Fortunare ſolet: tardo ego cum volui.
" Crine tegis faciem? cognoſci nolo. Sed heus tu
" Occipite es calvo? ne tenear fugiens.
" Quæ tibi ſancta comes dicat tibi. Dic rogo q̄ ſis?
" Sum Dea; cui nomen nec Cicero ipſe dedit:
" Sum Dea; quæ facti; non factique exigo pœnas.
" Nempe ut pœniteat: ſic Matanœa vocor
" Tu modo dic: quid agat tecum? ſi quando volavi;
" Hæc manet: hanc retinent; quos ego præterii.
" Tu quoque dū rogitas; dū percunctando moraris

F ii

„ Elapsam dices me tibi de manibus.

Altera opportunitatis ratio est;cum temporis dilationem aliquam admittit. Sic Cn. Plancius ad Ciceronem proficiscitur,cum eum Dyrrhachiũ attigisse audivit. Cicero. Nam simul ac, inquit, me Dyrrhachium attigisse audivit: statim ad me Lictoribus dimissis,insignibus abjectis,veste mutata profectus, o acerbam mihi, judices,memoriam temporis illius, & loci,cum hic in me incidit: complexus est, conspexitque lachrymis, nec loqui præ mœrore potuit. Sic Aeneas animorum racreandorum causa ludos proponit;cum nihil grave instat Virgilius.

Pro Cn. Planc.

Aeneid. 5.

„ Prima citæ Teucris ponam certamina classis
„ Quique pedũ cursu valet:& qui viribus audax,
„ Aut jaculo incedit melior; levibusve sagyttis:
„ Seu crudo fidit pugnam committere cæstu:
„ Cuncti adsint:meritæq; expectent præmia palmæ
„ Sic favete omnes & cingite tempora ramis.

Hinc illæ Ptolæmei ex pane cibario, & Darii ex aqua turbida,& cadaveribus inquinata jucunditates. Sic enim Cicero Ptolæmeo peragranti Aegyptum comitibus non consecutis. cum cibarius in casa panis datus esset; nihil visum est illo pane jucundius. Darius in fuga cum aquam turbidam, & cadaveribus inquinatam bibisset: negavit unquam se bibisse jucundius. Hinc Dionysius jure minime delectatur. Sic enim Cicero Cum tyrannus cœnavisset Dionysius, negavit se jure illo,quod cœnæ caput erat, delectatum. Tum is;qui illa coxerat:minime mirum, condimenta enim defuerunt. Quæ tandem? inquit ille: Labor in venatu,sudor,cursus ab Eurota, fames, sitis. His enim rebus Lacædemoniorũm epulæ condiuntur.

Tusc. 5.

Ibidem

Ibidem

Si quando utraque opportunitatis ratio instare videatur; tum illa prius capienda, hæc tantulum differenda ut Pulvillus re optime præstitit sic enim Valerius Maximus Horatius Pulvillus, cum in Capitolio jovi op Lib. 5 ca. 10
„ Max. ædem Pontifex dedicaret, interque nuncupatio-
„ nem solennium verborum postem tenens, mortuum
„ esse filium suum audisset, neque manum a poste remo
„ vit, ne tanti templi dedicationem interrumperet; ne-
„ que vultum a publica religione ad privatum dolorẽ
„ reflexit, ne patris magis, quam pontificis partes egisse
videretur. Clarum exemplum. Hæc de opportunitate; ubi hoc advertendum restat, ne quod laudabilius in diem differtur; ad punctum temporis suscipiendum putemus; quod ipsum a re alienum est. ut illa Phormionis apud Annibalem ostentatio de re militari sic enim Cicero: ut peripateticus ille dicitur Phormio, De Orat. lib. 2.
„ cum Annibal Carthagine expulsus Ephesum ad An-
„ tiochum venisset exul, proque eo, quod ejus nomen
„ erat magna apud omnes gloria, invitatus esset ab ho-
„ spitibus suis, ut eum, quem dixi, si vellet, audiret: cum-
„ que is se non nolle dixisset, locutus esse dicitur homo
„ copiosus aliquot horas de imperatoris officio, & de
„ omni re militari. Tum cæteri, qui illum audierant,
„ cum vehementer essent delectati; quærebant ab An-
„ nibale quidnam ipse de illo philosopho judicaret. hic
„ Poenus, non optime Græce; sed tamen libere respon-
„ disse fertur; Multos se deliros senes sæpe vidisse; sed q.
„ magis quam Phormio deliraret, vidisse neminem.
„ Neque mehercule injuria quid enim aut arrogantius,
„ aut loquacius fieri potuit; quam Annibali, qui tot an-
„ nos de imperio cum pop, Rom. omnium gentium vi-
„ ctore certasset, Græcum hominem, qui nunquam ho-

„ stem,nunquam castra vidisset, nunqvam denique minimam partem ullius publici muneris attigisset, præcepta de re militari dare. Hinc tēporis gravis, aut joculi; lætitiæ & gaudii,aut mœroris; orationis,aut silentii; loci idonei,aut minus idonei,ac demum rei cujusque,quando quæque conveniat, judicium fieri debet. Nunc de modestia dicendum restat.

MODESTIA.

Modestia,est altera pars temperantiæ, quę in actionum cogitationumve mensura versatur. Mensura rei est, cum id,cujus gratia aliquid agendum suscipitur, adipiscimur,& operis fine fruimur. Ea vero mensura continua est, aut disjuncta. Continua dicitur mensura,quæ justitiæ continuationem ordine actionū deinceps susceptarum perpetuo continet. Hic est enim

Cice. lib.2. Tusc. q̄stio

„ ille vultus semper idem; quem dicitur Xantippe prædicare solita in viro suo fuisse Socrate.: eodem vultu semper se vidisse exeuntem illum domo, & revertentem. Nec vero ea frons erat; quæ Marci Crassi illius veteris, quem semel ait in omni vita risisse Lucilius, sed tranquilla & serena: sic enim accepimus: jure autē erat semper idem vultus,cum mentis,a qua is fingitur, nulla fieret mutatio. Sic Demosthenes naturæ vitia meditatione atq; exercitatione cōtinua sustulit Cic.

De Orat. lib.1.

„ Imitemurque illum,cui sine dubio summa vis dicendi conceditur, Atheniensem Demosthenem, in quo tantum studium fuisse,tantusque labor dicitur,ut primum impedimenta naturæ diligentia, industriaque superarit: cumque ita balbus esset; ut ejus ipsius artis,

„ cui studeret, primam literam non posset dicere, perfe-
„ cit meditando ut nemo planius eo locutus putaretur.
„ Deinde cum spiritus ejus esset angustior; tantum con
„ tinenda anima in dicendo est assecutus, ut una conti-
„ nuatione verborum (id quod ejus scripta declarant)
„ binæ ei contentiones vocis, & remissiones continerentur.
„ tur. Quin etiam (ut memoriæ proditum est) conjectis
„ in os calculis summa voce versus multos uno spiritu
„ pronuntiare consuescebat: neque is consistens in lo-
„ co, sed inambulans atque ascensu ingrediens arduo. De finib. lib. 5.
„ Idem. Noli, inquit, ex me quærere, qui in Phalericū
„ etiam descenderim: quo in loco ad fluctum ajunt de-
„ clamare solitum Demosthenem, ut fremitum assuesce
„ ret voce vincere. Huc pertinet Virgilii epigramma
„ de viro bono.

„ Vir bonus, & prudens, qualem vix reperit unum
„ Millibus e multis hominum consultus Apollo:
„ Judex ipse sui: totum se explorat ad unguem
„ Quid proceres, q̄d leno procax, q̄d opinio vulgi
„ Securus: mūdi instar habēs: teres, atque rotundus
„ Externæ ne quid labis per lævia sidat.
„ Ille dies, quam longus erit sub sydere cancri
„ Quātaque nox tropico se porrigit in Capricorno
„ Cogitat: & justo trutinæ se examine pensat:
„ Ne quid hiet: ne quid protuberet: angulus æquis
„ Partibus ut coeat: nil ut deliret amussis.
„ Sit solidum quodcunque subest: nec inania subtus
„ Indicet admotus digitis pellentibus ictus.
„ Non prius in dulcem declinat lumina somnum:
„ Omnia quam longi reputaverit acta diei,

Cavendum hic erit ne in proponenda nobis vitæ ratione decipiamur, ex qua vitā omnē metiri debeamus

Sic Aristippi, Cyrenaicorumque omnium, qui ab eo sunt profecti, sententia improbatur; qui in ea voluptate, quæ maxima dulcedine sensum moveret, summū bonum posuerunt: de quibus Cicero. Hi non viderunt
De finib. 2.
„ ait, ut ad cursum equum; ad arandum bovem, ad in-
„ dagandum canem; sic hominem ad duas res, ut ait
„ Aristoteles; intelligendum & agendum esse natum
„ quasi mortalem Deum: contraque ut tardam aliquam
„ & languidam pecudem ad pastum, & procreandi vo-
„ luptatem hoc divinum animal ortum esse voluerunt.
Disjuncta vero dicitur mēsura, quæ actionis cujusque justæ ex fine proprio perfectionem absolutionemque statuit. Quarum quædam naturales sunt; quædam non naturales. Naturales autem necessariæ; aut non necessariæ. Ad illas Platonis cœnæ pertinent; quæ postero etiam die jucundæ fuerunt: sic enim Cicero. Ti-
Tuscul. 5.
„ motheum clarum hominem Athenis; & principem
„ Civitatis ferunt; cum cœnauisset apud Platonem; eo-
„ que convivio admodum delectatus esset; vidissetque
„ eum postridie, dixisse: vestræ quidem cœnæ non solū
in præsentia, sed etiam postero die jucundæ sunt. Ad
„ non necessarias pertinet Socratis ambulatio: Sic
„ enim Cicero. Socratem ferunt; cum usque ad vespe-
Tuscul. 5.
„ rum contentius ambularet: quæsitumque esset ex eo,
„ quare id faceret; respondisse se; quo melius cœnaret;
„ obsonare ambulando famenm: Non naturales autem aut graves; aut festivæ sunt. In illis modum sic metiemur; ut instantis rei necessitate considerata quatenus omissio obest; aut prodest factio: agamus cogitemusve Sic Cæsar satis habebat convenientes Gallorum manus tantum dissipare, dissipatos sibi quærendum non putabat. Cæsar. Oppressi Carnutes hyemis difficul-
De bello Gall. lib. 8.

tate

„ tate, terrore periculi, cum tectis expulsi nullo loco diutius consistere auderent, nec sylvarum præsidio tempestatibus durissimis tegi possent, dispersi magna parte amissa suorum dissipantur in finitimas civitates. Cæsar tempore anni difficillimo cum satis haberet cōvenientes manus dissipare; ne quod initium belli nasceretur: quantunque in ratione esset, exploratum haberet, sub tempus æstivorum nullum summum bellum posse conflari: C. Trebonium cum duabus legionibus, quas secum habebat, in hybernis Genabi collocavit. Cavendū aūt hic erit; ne unius alicujus actionis dulcedine capti, reliquis nostri desiderium relinquamus. Sic Cicero clarorum virorum studium sapientiæ tuetur. Etenim si quodam in libro vere est a nobis philosophia laudata, profecto ejus tractatio optimo atque amplissimo quoque dignissima est: nec quicquam aliud videndum est nobis; quos pop. Romanus hoc in gradu collocavit; nisi ne quid privatis studiis de opera publica detrahamus: quod si cum fungi munere debeamus: non modo operam nostram nunquam a populari coetu removemus; sed ne literam quidem ullam facimus, nisi forensem, quis reprehendet nostrum otium? qui in eo non modo nosmetipsos hebescere, & languere nolumus: sed etiam ut plurimis prosimus, enitimur? Sic Terentianus Pamphilus laudatur in Andria.

Acade. quæstio lib. 2.

„ Si quod plerique omnes faciunt adolescentuli;
„ ut animum ad aliquod studiū adjūgant, aut equos
„ Alere; aut canes ad venandū; aut ad philosophos
„ Horum ille nihil egregie præter cætera
„ Studebat, & tamen omnia hæc mediocriter

" Gaudebam .S. Non injuria nam id arbitror
" Apprime in vita esse utile, ut Ne quid nimis.

Sic ut sermonis incipiendi ratio fuit, ita sit definendi modus. Item in motu corporis modum servemus ut in eundo ne tarditatibus utamur in gressu mollioribus, ut similes pomparum ferculis esse videamur: aut ne in festinationibus suscipiamus nimias celeritates cavendum. In vestitu, in habitatione, & demum in omnibus illud memoria teneamus, ut nihil nimis: siquidem ut Horatius ait.

" Est modus in rebus; sunt certi denique fines:
" Quos ultra citraque nescit consistere rectum.

Ad festivitatem pertinet jocus, & ludus: in jocando igitur, ludendoque cavendum, ut ne ipsum genus jocandi, ludendique sit profusum, immoderatum: sed ingenuum & facetum: nec ad jocandi genus illiberale petulans, flagitiosum, obscoenum delabamur: sed sit urbanum, ingeniosum, facetum. Sic Cato in hominem quendam curiosum jocatus est: Cicero. Aut ut
De Orat. lib. 2.
" idem cum cuidam dixisset, Eamus deambulatum: &
" ille; Quid opus fuit de? Immo vero, inquit, quid opus fuit te? Sic Gnathena meretrix jocans Stilpontem philosophum, qui eam reprehendebat, notavit:
" Gnathena enim meretrix reprehensa a Stilponte phi
" losopho, quod adolescentes corrumperet: Tu, inquit,
" egoque Stilpon in eodem hæremus crimine: tu ado-
" lescentes tecum versantes inutilia, ego amatoria sophi-
" smata doceo: ut nihil referat; cum tali philosopho
" versentur; an cum meretrice. Item in ludendo ca-

vendum ne nimis omnia profundamus. Sic lusit Theramenes vir egregius extremo spiritu, cum jam præcordiis conceptam mortem contineret. Cicero. Tuscul. lib. 1.
„ Qui cum conjectus in carcerem triginta jussu tyrannorum venenum ut sitiens obbibisset; reliquum sic è poculo ejecit, ut id resonaret. Quo sonitu reddito, ridens. Propino, inquit, hoc pulchro Critiæ, qui in eum fuerat teterrimus. Græci enim in conviviis solent nominare, cui poculum tradituri sunt.

A. CAESARIS BELLINI MACTI IVRECONSULTI ACADEMICI VITERBIENSIS INSTITUTIONUM MORALIUM

LIBER. III.



Ortitudo, est virtus moralis, quæ animum a perturbationibus invictum efficit. Prturbatio, est aversa a recta ratione animi commotio. quæ mentem omnino dehonestat. Perturbatur vero animus ex præsentibus; aut ex futuris: præsentium sunt voluptas, & ægritudo: futurorum vero libido, & metus.

VOLUPTAS.

Voluptas, est perturbatio se efferens. Cujus distributio duplex notanda est. Prior, quod aut sua, aut aliena causa voluptas existit. Illa solius animi est, aut etiã corporis; quæ delectatio nominatur. Rursus voluptas solius animi in superbiam, & arrogantiam tribuitur.

SUPERBIA.

Superbia, est ob excellentiam aliquam suam, & pręstãtiam, solius animi voluptas. qualem Pyrrhum Andromacha apud Virgilium narrat.

Aeneid. 3.

» Nos patria incensa diversa per æquora vectæ
» Stirpis Achilleæ factus: juvenemque superbum

Servitio enixe tulimus

Sic Martialis Fabullam notat; quippe quæ pulchritudinem suam efferret insolentius. Lib. 1.

Bella es novimus: & puella verum est:
Et dives: quis enim potest negare?
Sed dum te nimium Fabulla laudas;
Nec dives: neque bella: nec puella es.

Sic Cicero Demosthenem notat:, Leviculus sane, inquit, noster Demosthenes: qui illo susurro delectari se dicebat, aquam ferentis mulierculæ, insusurrantisque alteri; Hic est ille Demosthenes. Quid hoc levius? Tusc. lib. 5.

ARROGANTIA.

Arrogantia, est ob excellentiam aliquam præstantiamque opinatam solius animi volptas. Sic Thraso apud Terentium copiose describitur. In Eunucho.

T. Est istuc datum
Profecto mihi, ut grata sint, quæ facio, omnia
G. Advorti hercle animũ. T. Vel Rex sẽper maxi-
Mihi agebat: quicquid fecerã, aliis non itẽ (mas
G. Labore alieno magnam partam gloriam
Verbis sæpe in se transmovet; qui habet salem;
Quod in te est. T. Habes. G. Rex te ergo in oculis?
G. Gestare. T. Verũ credere omnẽ exercitũ
Consilia. G. Mirum. T. Tum sicubi eum satietas
Hominum; aut negoti si quando odium coeperat
Requiescere vbi volebat, quasi nostin'? G. Scio
Quasi ubi illã expueret miseriã ex animo. T. tenes
Tum me convivam solum adducebat sibi G. Hui
Regem elegantem narras. T. Immo sic homo est
Perpaucorũ hominũ. G. Immo nullorũ arbitror;

» Si tecum vivit. T. Invidere omnes mihi;
» Mordere clanculum: ego non floccipendere;
» Illi invidere misere: verum vnus tamen
» Impense: elephantis quem indicis præfecerat.
» Is ubi molestus magis est: quæso, inquam, Strato
» Eone es ferox; quia habes imperium in belluas?
» G. Pulchre mehercule dictum,& sapienter, pape,
» jugularas hominem. quid ille? T. Mutus ilico.
» G. Quidni esset? P. Dii vostrã fidẽ, hominẽ ꝑditũ
» Miserũq;,& illũ sacrilegũ. T. Quid illud Gnatho
» Quo pacto Rhodium tetigerim in convivio;
» Nunquid tibi dixi? G. Nunquã sed narra obsecro
» Plus millies jam audivi. T. una in convivio
» Erat hic, quem dico, Rhodius adolescentulus;
» Forte habui scortum: coepit ad id alludere;
» Et me irridere: quid ais, inquam; homo impudẽs?
» Lepus tute es,& pulpamentum quæris;

DELECTATIO.

Delectatio, est voluptas, quæ animum suavitate sensuum delinit. quam efficit suavitas vel auditus, vel visus, vel tactionum, vel odorationum, vel saporum: quæ sunt omnes unius generis ad perfundendum animum tanquam illique factæ voluptates.

SUAVITAS AUDITUS.

Hac suavitate Catullus afficitur; dum Lesbiam audit ridentem

» Ille mi par Deo esse videtur;
» Ille, si fas est, superare Divos;

" Qui ſedens adverſus identidem te
Spectat,& audit.
" Dulce ridentem,miſero quod omnes.
" Eripit ſenſus mihi,nam ſimul te
" Lesbia conſpexi,nihil eſt ſuper mi
*
" Lingua ſed torpet; tenues ſub artus
" Flamma demanat; ſonitu ſuopte
" Tintinant aures:gemina teguntur
Lumina nocte

Sic Cicero Græciæ civitates notat. Quarum mores, De legib. 2
" inquit,lapſi ad mollitiem pariter ſunt immutati cum
" cantibus: aut hac dulcedine,corruptelaque depravati
" aut cum ſeveritas eorum ob alia vitia cecidiſſet; tum
" fuit in auribus,animiſque mutatis huic mutationi lo-
" cus.

SUAVITAS VISUS.

Sic Q. Catulum Roſcii viſione delectatum legimus,
ut eſt apud Ciceronem:in quem etiam illud eſt ejus De nat. Deor. 1.
" Conſtiteram exorientem auroram forte ſalutans;
" Cum ſubito a læva Roſcius exoritur.
" Pace mihi liceat cœleſtes dicere veſtra;
" Mortalis viſus pulchrior eſſe Deo.

Sic apud eundem Sophocles a Pericle reprehendi- De offi. li. 1
" tur. Pericles, inquit, cum haberet collegam in Præ-
" tura Sophoclem poetam, hique de communi officio
" conveniſſent,& caſu formoſus puer præteriret: dixiſ-
" ſetque Sophocles; O puerum pulchrum Pericle; ait;
" At enim Prætorem,Sophocle,decet nō ſolum manus:
" ſed etiam oculos abſtinentes habere.

SUAVITAS TACTIONUM.

Car. lib. 1. Sic Damalis apud Horatium notatur
nec Damalis novo
» Divellatur adultero
» Lascivis hederis ambitiosior.

SUAVITAS ODORATIONUM.

Sic Martialis Cotylum notat libro quinto
» Bellus homo est: flexos qui digerit ordine crines:
» Balsama qui sempet; cinnama semper olet.
Idem libro sexto Coracynum hac suavitate delectatum memoriæ prodit.
» Quod semper casiaque; cinnamoque;
» Et nido niger alitis superbæ
» Flagras plumbea Niceroniana:
» Rides nos Coracyne nil olentes
» Malo; quam bene olere; nil olere.

SUAVITAS SAPORUM

De finib. 2 Hac dulcedine captum Cicero Thoriũ notat. Thorius Balbus fuit Lanuvinus: quem tu meminisse non non potes. Is ita vivebat; ut nulla tam exquisita posset inveniri voluptas; qua non abundaret: erat & cupidus voluptatum: & cujusvis generis ejus intelligens & copiosus: ita non superstitiosus; ut illa plurima in sua patria sacrificia,& phana contemneret: ita non timidus ad mortem; ut in acie sit ob Rempublicam interfectus. cupiditates non Epicuri divisione finiebat; sed sua satietate. habebat tamen rationem valetudinis:

„ nis: utebatur iis exercitationibus; ut ad cœnā & esuri-
„ ens, & sitiens veniret: & cibo; qui & suavissimus esset
„ & idem facillimus ad concoquendum: vino; & ad vo-
„ luptatem & ne noceret. Cætera illa adhibebat; qui-
„ bus demptis negat se Epicurus intelligere; quid sit bonum. Hac etiam voluptate Sardanapalus opulentissimus Syriæ Rex mirum in modum affectus fuit: qui incidi jussit in busto. Cic. Tusc. 5.

„ Hæc habeo; quæ edi; quæque exaturata libido „
„ Hausit; at illa jacent multa, & præclara relicta. „

Quid aliud, inquit Aristoteles: in bovis, non in regis sepulchro inscriberes. Hæc de voluptate animo tantum, vel etiam corpore percepta: cujus pars illa quidem potest esse diuturnior: hæc vero haud diutius sentiri potest; quàm dum ea quis fruitur. Sic Dionysius tyrannus Cytharoedo cuidam sibi plurimum grato in spectaculis cum multa pollicitus esset: neque tamen in sequenti die erogasset quicquam: mercedem vero reposcenti hoc modo respondit: Abunde tibi gratiam retuli Cytharoede: quanto enim tempore oblectasti canens; tanto etiam sperans es oblectatus. Fluit igitur voluptas corporis; & prima quæque avolat: sæpiusque relinquit causas poenitendi; quam recordandi; ut petulantia mulieris; atque pecuniæ magnitudine ictus exterritusque Demosthenes colligens se planum fecit: Ego, inquiens, non emo millibus decem drachmarum id, quod poenitendum est.

VOLUPTAS EX RE ALIENA

Sequitur nunc voluptas ex aliena causa: quæ opinione rei alienæ adversæ, aut secundæ capitur. Malo

H

alieno Menalcas delectatur;nimirum convitio Aegonis,atque Damoetae:sic enim Poeta.

Eclog. 3.

"Infoelix o semper ovis pecus; ipse Neaeram
"Dum fovet:ac ne me sibi praeferat illa veretur;
"Hic alienus ovis custos bis mulget in hora:
"Et succus pecori; & lac subducitur agnis

Hoc vitium notat etiam Horatius carminum libro primo. mentio si qua

"De Capitolini furtis injecta Petilli
"Te coram fuerit: defendas ut tuus est mos:
"Me Capitolinus convictore usus,amicoque
"A puero est: causaque mea permulta rogatus
"Fecit:& incolumis laetor;quod vivit in urbe:
"Sed tamen admiror quo pacto judicium illud
"Effugerit. Hic nigrae succus loliginis:haec est
"Aerugo mera.

Opinione rei alienae secundae voluptate Davus afficitur:quippe qui,uxorem Pamphilo id aegre ferenti propter amicam,non dari intelligens prae nimia voluptate gestiens exultat:ut est apud Terentium in Andria.

"Dii boni, boni quid porto? sed ubi inveniam
"Pamphilum?
"ut metum,in quo nunc est,adimam; atque expleã
"animum gaudio?
"C. Laetus est;nescio quid.P. Nihil est: non dum
"haec rescivit mala.
"D. Quem ego nunc credo,si jam audierit sibi paratas nuptias
"C. Audin' illum? D. Toto me oppido exanimatum quaerere.

Sic Chaerea,fratri,gaudet,amorem esse in tranquillo a Terentius in Eunucho.

C. Tum autem Phædriæ
" Meo fratri gaudeo amorem esse omnem in tran/
" quillo: una est domus
" Thais patri se commendavit: in clientelã & fidẽ,
" Nobis dedit se. Par. Fratris igitur Thais tota est
" C. Scilicet.

JACTATIO.

Secundo loco voluptas in jactationem, & lætitiam distribuitur. jactatio, est voluptas cum ostentatione. Sic Dares vires & membra ostentat: ut est apud Virg. Aeneid. 5.
" Nec mora continuo vastis cũm viribus effert
" Ora Dares; magnoque virum se murmure tollit.
Tum aliquanto post
" Talis prima Dares caput altum in prælia tollit;
" Ostenditque humeros latos; alternaque jactat
" Brachia protendens; & verberat ictibus auras.
Sic ostentatione sua vitatis saporum Tucca voluptatẽ capiebat. Martialis
" Non est Tucca satis; quod es gulosus: lib. 5.
" Et dici cupis: & cupis videri.
Sic Martialis Attalum reprehendit; qui omnium peritum se esse ostentabat Lib 2. ad Attalum.
" Declamas belle: causas agis Attale belle:
" Historias bellas: carmina bella facis:
" Componis belle mimos: epigrammata belle
" Bellus grammaticus: bellus es astrologus:
" Et belle cantas: & saltas Attale belle:
" Bellus es arte liræ; bellus es arte pilæ.
" Nil bene cum facias; facis attamen omnia belle
" Vis dicam quid sis? magnus es ardelio.

LAETITIA.

Lætitia, est voluptas cum animi defectione. Sic Andrommacham, cum præter opinionem Aeneam subito conspexisset, animus deficit Virgilius.

Aeneid. 3.
» ut me conspexit venientem; & Troja circum
» Arma amens vidit; magnis exterrita monstris
» Diriguit visu in medio: calor ossa reliquit:
» Labitur, & longo vix tandem tempore fatur.

Sic Antiphilam præ nimio gaudio vires deficiunt; cum Cliniam, qui abierat, reversum conspicit. Terentius

Heautontim.
A. Ah retine me obsecro.
» B. Amabo quid tibi est? A. Disperii. B. Perii misera quid stupes
» Antiphila? A. Videon' Cliniam, an non?

Hactenus de voluptate; qua nulla capitalior pestis hominibus a natura data est. Nam cum homini Deus nihil mente, & ratione præstabilius dedisset: qua summo bono frueretur. Huic divino muneri ac dono summi boni nihil tam est inimicum; nihil tam cõtrarium quam voluptas: nec enim voluptate dominante in animo honestati ac summo bono locus est: nec omnino in voluptatis regno virtus, divinumque munus potest consistere. Quod quo magis intelligi possit; fingamus animo aliquem tanta affectum voluptate; quanta percipi potest maxima: nemini censeo fore dubium quin tam diu; dum ita gauderet; nihil agitare mente & nihil ratione; nihil cogitatione consequi poterit: ut ille, qui voluptatem animi nimiam summum esse bonum arbitratur. Sic ante Ruffum Nevia semper obversatur. Martialis.

lib. 1.

" Quicquid agit Ruffus, nihil est, nisi Nevia Ruffo
" Si gaudet, si flet, si tacet, hanc loquitur.
" Coenat, propinat, poscit, negat, innuit; una est
" Nevia: si non sit Nevia, mutus erit.
" Scriberet hesterna patri cum luce salutem:
" Nevia lux, inquit: Nevia numen ave.
" Hæc legit, & ridet demisso Nevia vultu.
" Nevia non una est: quid vir inepte furis?

Quæ inanis elatio non multum differt ab amentia: quo circa nihil est tam detestabile: tamque pestiferũ, quam voluptas: siquidem ea, cum major est, atque lõgior, omne animi lumen extinguit. Bene igitur C. Fabritius: quem memoriæ traditum est, mirari solitum; quod, cum apud Regem Pyrrhum legatus esset, audisserque a Thessalo Cynea Athenis quendam esse; qui se sapientem profiteretur; eumque dicere, omnia, quę faceremus, ad voluptatem esse referenda: quod ex eo audientes Manium Curium, & T. Coruncanum optare solitos, ut Samnitibus, ipsique Pyrrho persuaderetur. De ægritudine jam nunc dicendum.

AEGRITUDO.

Aegritudo, est perturbatio, quæ animum contrahit. Cujus distributio duplex notanda est: Prima est, quod animus contrahitur aut ex sua, aut ex aliena causa. Causa sua contrahitur animus ex opinato aliquo malo: cujus duæ sunt species dolor & erumna.

DOLOR.

Dolor, est ægritudo ex cruciatu corporis proprii.

Cruciatus, est motus asper in corpore a sensibus alienus. Isque vel in corpore oritur; aut extrinsecus infertur. Illum Possidonius fortissime superavit: sic

Tuscul. 2. enim Cicero. Solebat narrare Pompejus se cum Rho„ dum venisset decedens ex Syria audire voluisse Possi„ donium: sed cum audivisset, eum graviter esse ægrum, „ quod vehementer ejus artus laborarent; voluisse ta„ men nobilissimum philosophum visere: quem ut vi„ disset, & salutavisset; honorificisque verbis prosecu„ tus esset molesteque se dixisset ferre, quod eum non „ posset audire. At ille, tu vero, inquit, potes: nec com„ mittam, ut dolor corporis efficiat, ut frustra tantus „ vir ad me venerit: itaque narrabat eum graviter & co„ piose de hoc ipso, nihil esse bonum, nisi quod hone„ stum esset, cubantem disputavisse: cumque quasi fa„ ces ei doloris admoverentur, sæpe dixisse: nihil agis „ dolor; quamvis sis molestus. Alterum vero Anaxar„ chus fortissime etiam superavit: de quo item Cicero.

Ibid de nat. deor. 3 „ Anaxarchus Abderites Democriticus cum in manus „ Neocreontis tyranni incidisset; cui in cōvivio coram „ Alexandro injuriam fecerat: nullum genus supplicii „ deprecatus est, neque recusavit. Cum enim mortuo „ Alexandro eum in olmon conjecisset Neocrō: jussis„ setque ferreis malleis cædi: ingeminavit, tunde, tunde, „ Anaxarchi vasculū, nam Anaxarchū nihil teris. ju„ bēte vero illo ipsius præcidi linguam: ajunt præcisam „ dentibus in ejus faciem conspuisse.

ERUMNA.

Erumna, est ægritudo ex re sua laboriosa. Labor vero est, functio quædam vel animi, vel corporis gra-

ctoris operis, vel muneris: unde industrios homines,
„ quos Græci studiosos, vel potius amantes doloris ap-
„ pellant, nos commodius laboriosos: qualem fuisse
Romanum exercitum memoriæ proditum est. No-
„ stri vero exercitus, ait Cicero, primum unde nomen Tus. 2.
„ habeant, vides: deinde qui labor; quantus agminis:
„ ferre plus dimidiati mensis cibaria: ferre siquid ad
„ usum velint: ferre vallum: nam scutum, gladium, ga-
„ leam in onere nostri milites non plus numerant; quã
„ humeros, lacertos, manus: arma enim membra mili-
„ tis esse dicunt: quæ quidem ita gerunt apte, ut si usus
„ foret, abjectis oneribus, expeditis armis, ut membris
„ pugnare possint. Quid exercitatio legionum? quid
„ ille cursus, clamor; quanti laboris est. Hinc Pytha-
„ goræ, Platonis, aliorumque nobilissimorum philoso-
„ phorum peragrationes discendi causa susceptæ con-
„ stanter superatæ. Hinc Herculis orbem terrarum pe-
„ ragrantis labores fortissime superati.

MISERICORDIA.

Ex aliena vero causa contrahit animum misericor-
dia, & livor. Misericordia, est ægritudo ex opinione
rei alienæ adversæ. Carmenta haud equidem ani-
mum contraxit: quin immo Evandrum filium forti-
ter monet, ut adversam exilii fortunã æquo animo fe- Fast. 1.
rat: sic enim Ovidius.

„ Cui genitrix flenti, fortuna viriliter, inquit,
„ Siste puer lachrymas, ista ferenda tibi est,
„ Sic erat in fatis: nec te tua culpa fugavit:
„ Sed Deus; offenso pulsus es urbe Deo.

" Aut hic ad veteres fagos cum Daphnidis arcum
" Fregisti; & calamos; quæ tu perverse Menalca
" Et cum vidisti puero donata dolebas:
" Et si non aliqua nocuisses mortuus esses.

Sic C. Curiatius nobilitati & dignitati D. Bruti, & P. Scipionis invidit. Cicero. D. Brutum, & P. Scipionem consules, quos & quantos viros? homo omnium " infirmus, & sordidissimus T. Plebis C. Curiatius in " vincula conjecit: quod ante factum non fuerat. De legib. 3

OBTRECTATIO.

Obtrectatio, est livor ex eo, quod alter quoque potiatur eo; quod ipse etiam concupierit: quam zelotypiam intelligi Cicero vult. Sic Arcesilas Zenoni, ut putatur, obtrectans, nihil novi reperienti, sed emendanti superiores immutatione verborum; dum hujus definitiones labefactare vult; conatus est clarissimis rebus tenebras obducere. Cic. Acad quæst. 2

AEMULATIO.

Aemulatio, est livor ex eo, quod quis concupierit, eo alius potiatur, ipse careat. Quam multos scripto- " res rerum suarum magnus ille Alexander habuisse di- " citur: atque is tamen cum in Sygæo ad Achillis tumu- " lum astitisset: o fortunate, inquit, adolescēs, qui tuę vir- " tutis Homerum præconem inveneris. Cic. pro Archia.

DESPERATIO.

Altera ægritudinis distributio, est in desperationē,

moerorem, lamentationem, & afflictationem. Desperatio, est ægritudo sine ulla rerum expectatione meliorum: quam consequitur angor, & solicitudo; de quibus postea, desperatio nunc agatur. Curio exercitu, quem de Cæsare acceperat, amisso nullam sibi rerum exspectationem meliorum proposuit: sic enim Cæsar

Lib.2. » de bello civili. Tum vero ad summam desperationem » nostri perveniunt; & partim fugientes ab equitatu in- » terficiuntur; partim integri procumbunt. Hortatur » Curionem Cn. Domitius præfectus equitum, cum pa- » ucis equitibus circunsistens, ut fuga salutem petat; at- » que in castra contendat; & se ab eo non discessurum » pollicetur. At Curio nunquam amisso exercitu, quem » a Cæsare fidei suæ commissum acceperit, se in ejus cō- » spectum reversurum confirmat: atque ita præliams in- » terficitur.

ANGOR.

Angor, est ægritudo premens. quæ a Græco *συνάγχη*, id est, strangulatione dicitur. Nero Claudius postquā deinde etiā Galbam, & Hispanias descivisse

Sueto. in eodem » cognovit, collapsus, animoque male fracto diu, & sine » voce, & prope intermortuus jacuit. At Senatus, Populusque Romanus in rebus adversis minime pressus,

De offi. li. & confectus est: sic enim Cicero. Itaque decrevit Se- » natus, ut ille veterator, & callidus vinctus ad Anniba- » lem duceretur: sed illud maximum. Octo hominum » millia tenebat Annibal: non quos in acie cœpisset: aut » qui periculo mortis diffugissent: sed qui relicti in ca- » stris fuissent a Paulo & Varrone consulibus: eos Sena- » tus non censuit redimendos: cum id parva pecunia fie-

„ ti potuisset: ut esset insitum militibus nostris aut vin-
„ cere, aut emori: qua quidem re audita fractum animũ
„ Annibalis scribit idem, quod Senatus, populusque Ro
„ manus rebus afflictis tam excelso animo fuisset.

SOLICITUDO.

Sollicitudo, est ægritudo cum cogitatione: Sic Dido solicitatur jam certior facta Aeneam de discessu cogitare. Virgilius. Aeneid. 4.

„ En quid agam? rursusne procos irrisa priores
„ Experiar? Nomadumque petã connubia supplex
„ Quos ego sum toties jam dedignata maritos?
„ Iliacas igitur classes, atque ultima Teucrum
„ jussa sequar? quiane auxilio juvat ante levatos
„ Et bene apud memores veteris stat gratia facti?
„ Quis me autem fac velle, sinet? ratibusq; superbis
„ Irrisam accipiet? nescis heu perdita, nec dum
„ Laomedonteæ sentis perjuria gentis?
„ Quid tum? sola fuga nautas comitabor ovantes?
„ An Tyriis, omnique manu stipata meorum
„ Insequar? & quos Sydonia vix urbe revelli
„ Rursus agam pelago, & ventis dare vela jubebo?
„ Quin morere, ut merita es, ferroq; averte dolorẽ.

MOEROR.

Mœror, est ægritudo flebilis. Cum Xerses Græciæ bellum illaturus innumerabilem exercitum compa- Vale. max 9. cap. 10.
„ rasset, illum in patenti campo, ut forte recenseret, de
„ superiori loco conspiciens in cogitationem venit, ut
„ diceret, intra centum annos eorum neminem fore su-

" perstitem, & brevissimæ hominis vitæ conditionem "
" secum ipse cogitans dicitur illachrymasse. Et quan- "
" vis Asiaticæ juventutis vicem dolere videretur; suam "
" tamen potius deplorabat. "

LAMENTATIO.

Cic.Tusc. 2. Lamentatio, est ægritudo cum ejulatu. Idest cum fletu sublatâ voce. Aspice Philoctetam, qui

" Ejulatu, questu, gemitu, fremitibus
" Resonando multum flebiles voces refert.

Nihil igitur hunc virum sagittæ, quas ab Hercule acceperat, tum consolabantur.

" Cum è viperino morsu venæ viscerum "
" Veneno imbutæ tetros cruciatus cierent. "
" Itaque exclamat; auxilium expetens; mori cupiens: "
" Heu quis salsis fluctibus mandet "
" Me ex sublimi vertice saxi? "
" jam jam absumor: conficit animam "
" Vis vulneris, ulceris æstus. "

Tu quoque ulyxes quanquam graviter cernimus ictũ, nimis es pene animo molli; qui consuetus in armis ævum agere exclamas:

" retinete, tenete, opprimite "
" Ulcus nudate; heu miserum me excrucior. "

AFFLICTATIO.

Afflictatio, est ægritudo cũ vexatione corporis. Hinc sunt variæ & detestabiles mulierum lacerationes genarum, feminum; capitis percussiones. Hinc Agamẽnon ille Homericus, & idem Accianus.

Cic.Tusc.2.

" Scindens dolore identidem intonsam comam:
in quo facetum illud Bionis, perinde stultissimum Regem in luctu capillum sibi evellere, quasi calvitio moeror levaretur. Sic Juturna apud Virgilium.
" Terque, quaterq; manu pectus percussit honestū. Aeneid.12
Et aliquanto post de eadem
" At procul ut diræ stridorem agnovit, & alas
" Infelix crines scindit Juturna solutos;
" unguibus ora soror fœdans, & pectora pugnis.
Item apud eundem mortua matre Ibidem.
" Filia prima manu flavos Lavinia crines
" Et roseas laniata genas

MOLESTIA.

Molestia non nova quidem ægritudinis species est; sed ægritudo permanens: quæ ad omnes ægritudinis partes, speciesque pertinet. Sic Artemisia illa Mausoli Cariæ Regis uxor; quæ nobile illud Halicarnassi fecit sepulchrum; quandiu vixit, vixit in luctu; eodēque etiam confecta contabuit. Hactenus de perturbationibus ex præsentibus: quarum illa eam sibi vitam beatam constituit; quæ voluptatibus undique referta est: hæc vero de vita beata dejicit omnino: ut ægritudine animus afflictus debilitatusque jaceat: quo quid est, non miserius solum; sed fœdius etiā & deformius? Cic. Tusc.2.
De perturbationibus ex futuris nunc agendum libidine & metu.

LIBIDO.

Libido, est perturbatio, quæ ad id, quod videtur bo-

num illecta & inflammata rapitur. Eaque sibi, aut aliis concupiscit. Illius duæ sunt species desiderium, & indigentia.

DESIDERIUM AC PRIMUM AMBITIO.

Desiderium, est libido aliquid sibi cupiens. Cujus tria sunt genera, ambitio, voluptuositas, avaritia: novis enim rebus nova licet nomina doctrinæ gratia imponamus: cum meliora non habeamus. Ambitio, est desiderium honoris, & gloriæ. C. Marius cum a spe consulatus longius abesset; & septimum annum post Præturam jaceret: nec petiturus unquam cōsulatum videretur; Q. Metellum summum virum, & civem; cum ab eo imperatore suo Romam missus esset; apud populum Romanum criminatus est; bellum illum ducere: si se consulem fecissent; brevi tempore aut vivū, aut mortuum Jugurtham se in potestatem populi Romani redacturum. Itaque factus est ille quidem consul. Noctu ambulabat in publico Themistocles: quod somnum capere non posset: quærentibusque respondebat Milciadis trophæis se è somno suscitari. Eundem Themistoclem summum Athenis virum dixisse ajunt, cum ex eo quæreretur; quod acroama, idest, dictum, aut cujus vocē libentissime audiret: Ejus, a quo sua virtus optime prædicaretur.

Cicc. de Offic. 3.

Cic. Tus. 4.

Idem pro Archia.

AVARITIA.

Avaritia, est desiderium divitiarum: quæ viriliter superata est a Diogene, Curio, Biante, Socrate. Diogenes Cynicus Alexandro roganti, ut diceret, si quid

Cic. Tus. 5.

ei opus esset: nunc quidem paululum, inquit, a sole absis: officiebat videlicet, apricanti. Curio ad focum sedenti magnum auri pôdus Samnites cum attulissent; repudiati ab eo sunt. Non enim aurum habere præclarum sibi videri dixit: sed eis, qui haberent aurum, imperare. Bias, cujus cum patriam Prienen cœpisset hostis: cæterique ita fugerent; ut multa de suis rebus asportarent: cum esset admonitus a quodam, ut idem ipse faceret: Ego vero, inquit, facio: nam omnia mea mecum porto: Ille hæc ludibria fortunæ ne sua quidē putavit: quæ nos appellamus etiam bona. Socrates in pompa cum magna vis auri, argentique ferretur; quam multa non desidero, inquit.

Id. De senect.

Idē Parad.

Id. Tusc. 5.

VOLUPTUOSITAS.

Voluptuasitas, est desiderium delectationis. Cujus fuit expers omnino Xenocrates; qui cum magnam castitatis opinionem sibi comparasset, accessit ad eum Phryne meretrix: petiitque partem lecti: quam concessit, nec tamen ullo noctis tempore attigit puellam quamvis formosissimam. Hinc illa mane rediens dixit: se non a viro, sed a statua venire. Sic & Anacharsis fertur voluptatis omnino desiderium superasse: cujus hæc est apud Ciceronem epistola. Anacharsis Hannoni. S. Mihi amictus est Scythicum tegmen: calciamentum solorum callum; cubile terra: pulmamentum fames; lacte, caseo, carne vescor: quare ut ad quietum me licet venias: munera autem ista; quibus es delectatus, vel civibus tuis, vel Diis immortalibus dona. Huc spectat mulierositas, liguritio, vinolentia.

Val. Max. de cōtinēt.

Tusc. 5.

INDIGENTIA.

Indigentia; est libido rerum sibi concupitarum inexplebilis. Quo de genere Aspasiæ cum Xenophontis uxore, & cum ipso Xenophonte dialogus est, quem locum Cicero transtulit. Dic mihi, quæso, Xenophontis uxor: si vicina tua melius habeat aurum, quã tu habes, utrum illius, an tuum malis? Illius, inquit. Et si vestem & cæterum ornamentum muliebre prætii majoris habeat; quam tu habes: an illius malis? Illius vero respondit. Age si virum illa meliorem habeat; quam tu habes; an illius malis? Hic mulier erubuit. Aspasia autem cum ipso Xenophonte sermonem instituit. Quæso, inquit, si vicinus tuus meliorem equum habeat; quam tuus est; utrum tuumne equum malis, an illius? Illius, inquit. Quod si fundum meliorem habeat; quam tu habes: utrum tandem illius malis? Illius, inquit: meliorem scilicet. Quod si uxorem meliorem habeat; quam tu habes; utrum illius malis? Atque hic Xenophon quoque ipse tacuit. Huc spectat Philippi Macedonis epistola ad filium. Ne eos tibi fideles putes; quos pecunia corruperis. Fit enim deterior, qui accipit: atque ad idem semper spectandum paratior. Hoc ille filio, sed præceptum putemus omnibus.

De Inuẽ. 1

Cicc. de Offic. 2.

MALEVOLENTIA.

Libido, quæ quid aliis concupiscit; aut malum, aut bonum opinatum concupiscit. Illius sunt malevolentia & ira. Malevolentia, est libido, quæ ultro alicui malum cupit. Cum Siculo nescio cui familiaris que-

Cic de Orat. 2.

reretur

reretur; quod diceret uxorem suam suspendisse se de ficu: amabo te, inquit, da mihi ex ista arbore, quos seram, surculos. Sueto. in eodem Huc illud Neronis pertinet: Dicente quodam in sermone communi ἐμοῦ θανόντος γαῖα μιχθήτω πυρί: Imo, inquit: ἐμοῦ ζῶντος. Memoriē te terra misceat igne Me vivēte Planeque ita fecit. Hinc odium mulierum existit; quale in μισογυνία est: ut in hominum universum genus; quod accepimus de Timone; qui μισάνθρωπος appellatur.

IRA, AC PRIMUM VINDICTA.

Ira, est libido ulciscendi ejus, qui videatur læsisse injuria. Cujus distributio duplex est. Prior in vindictam inimicitiam, & discordiam. Vindicta, est ira pœnam injuriæ parem exoptans. Sic C. Figulus iis consilium dare noluit, a quibus ad consulendum patriæ admissus non est: sic enim Valerius Maximus. C. Figulum mā- Lib. 9. ca. 3. suetissimum pacato juris civilis judicio celeberrimum prudentiæ moderationisque immemorem reddiderunt Clodii igniculi. Consulatus enim dolore accensus; eo quidem magis, quod illum bis patri suo datum meminerat. cum ad eum postera comitiorū die multi consulendi causa venissent: omnes dimisit præfatus: omnes consulere scitis: consulem facere nescitis. Sic Pyrrhus Priamum; qui telum in eum conjecerat, interfecit. Virgilius Aeneid. 2.

Cui Pyrrhus, referes ergo hæc, & nuntius ibis
Pelidæ genitori: illi mea tristitia facta;
Degeneremque Neoptolemū narrare memento:
Nunc morere. Hæc dicēs altaria ad ipsa tremētē
Traxit: & in multo lapsantem sanguine nati:
Implicuitque comam læva: dextraque coruscum
Extulit: ac lateri capulo tenus abdidit ensem.

K

INIMICITIA.

Inimicitia, est ira tempus observans. Hæc vero etiam
Li.9.ca.10. „ Appio duci, ut Valerius scribit, cujus pater dum pro
„ Senatus amplitudine nititur, commoda plebis acerri-
„ me impugnaverat, infensum exercitum faciendo vo-
„ luntaria fuga terga hosti, ne triumphum imperatori
„ quæreret, dare coegit. Hinc illa Salinatoris respon-
Ibidem. „ sio apud eundem. Cum adversus Asdrubalem Livius
„ Salinator bellum gesturus urbem egrederetur: monē-
„ ti Fabio maximo ne ante descenderet in aciem, quam
„ hostium vires, animumque cognosceret: primam oc-
„ casionem pugnandi non omissurum se respondit. In-
„ terrogatusque ab eodem, quid ita tam festinanter ma-
„ num conserere vellet: ut quam celerrime, inquit, aut
„ gloriam ex hostibus victis, aut ex civibus prostratis
„ gaudium capiam.

DISCORDIA.

Discordia, est ira, quæ in aliquem acerbissime invadit:
ut neque modum, neque tempus observet ullum: qua-
De leg. 2. lis in C. Marii reliquias fuit victor Sylla; ut est apud
„ Ciceronem: C. Marii sitas, inquit, reliquias apud Anie-
„ nem dissipari jussit Sylla victor acerbiore odio incita-
Aeneid. 2. „ tus. Qualis etiam Achilles in Hectorem describitur:
„ sic enim Poeta.
„ Ter circum Iliacos raptaverat Hectora muros
„ Exanimumque auro corpus vendebat Achilles.

ODIUM.

Altera iræ distributio, est in odium, & excandescen-

tiam. Odium, est ira inveterata. Sic Manlius Torquatus juventuti Romanæ odio fuit: ut est apud Valerium Maximum. Manlio Torquato amplissimam & gloriosissimam ex Latinis & Campanis victoriam in urbem referenti cum seniores omnes lætitia ovantes occurrerent: juniorum nemo obviam processit: quod filium adolescentem fortissime adversus imperium suum præliatum securi percussum occidisset. Miserti sunt æqualis nimis aspere puniti: nec factum eorum defendo: sed iræ vim indico: quæ unius civitatis & ætates, & affectus dividere valuit. Lib. 9. ca. 3

EXCANDESCENTIA.

Excandescentia, est ira nascens, & modo existens: quam Terentius mirum in modum exprimit in Geta servulo in Andelphis.

G. Ah
Me miserum, vix sum compos animi: ita ardeo iracundia.
Nihil est, quod malim, quam illam totam familiã dari mihi obviam.
Ut iram hanc in eos evomam omnem: dum ægritudo hæc est recens:
Satis mihi id habeam suppliciis dum illos ulciscar modo.
Seni animam primum extinguerem ipsi: qui illud produxit scelus.
Tum autem Syrum impulsorem; vah, quibus illũ lacerarem modis?
Sublimem modo arriperem: & capite primum in terra statuerem:

„ Ut cerebro dispergat viam
„ Adolescenti ipsi eriperem oculos; post hæc præci-
„ pitem darem.
„ Cæteros ruerem, agerem, raperem, tunderem, &
„ prosternerem.

Hæc illa est, quæ animum ad βλασφημίαν rapit. Sic Aeneas amissa uxore homines atque Deos execratur. Virgilius.

Aeneid. 2.

„ Quem non incusavi amens, hominumque Deo-
„ rumque,
„ Aut quid in eversa vidi crudelius urbe?

LIBIDO BONI ALIENI OPINATI.

Altera nunc species superest libido boni alieni opinati. Sic Catullus Fabullum allicit ad fruendum mira odoris suavitate.

„ Sed contra accipies meros amores
„ Seu quid suavius elegentiusve est:
„ Nam unguentum dabo; quod meæ puellæ
„ Donarunt Veneres, Cupidinesque:
„ Quod tu cum olfacies, Deos rogabis;
„ Totum, ut te faciant Fabulle nasum.

Sic Davus Pamphilum voluptate affici cupit; quod minime propter nuptias avellitur ab amica. Terentius in Andria.

sed ubi, ubi inveniam Pamphilum
„ Ut metum, in quo nunc est, adimam, atque expleã
„ animum gaudio.

Sic Chærea fratrem gaudio perfundi, quod jam ipsius Thais tota futura est, cupit. Terentius in Eunucho:

„ Tum tu, tu, frater ubi ubi est, fac quam pri-

" mum hæc audiat.

Sic Antipho Cythariſtriam cupit emptam Phædriæ: Getamque monet, ut argentum inveniat: Terentius in Phormio.

A. Itane hunc patiemur Geta
" Fieri miſerum; qui me dudum, ut dixti, adjuverit
" comiter?
" Quin cum opus eſt; beneficium rurſum ei experi-
" amur reddere?
" G. Scio equidem hoc eſſe æquum. A. Age ergo
" ſolus ſervare hunc potes.
" G. Quid faciam? A. Invenias argentum.

Hic eſt ille concitatus animi motus, quam tum cupiditatem, tum libidinem dicimus, impotentiam quandā animi a temperantia, & moderatione plurimum diſſidentem: quæ inflammat animum appetitione nimia, avideque ſemper aliquid expetit; & ab honeſtatis gradu procul ducit. Sic Saſſia generi amore capta, nimiaque cupiditate inflammata amens fertur: de qua Cicero: Ea igitur mater Habiti, ait, Melini illius adoleſcentis generi ſui, contra quam fas erat, amore capta, primo, neque id ipſum diu, quoquo modo poterat, in illa cupiditate continebatur: deinde ita flagrare cœpit amentia; ſic inflammata ferri libidine, ut eam non pudor; non pudicitia; non pietas; non macula familiæ; non hominum fama; non filii dolor; non filiæ mœror a cupiditate revocaret. De libidine hactenus, de metu nunc dicendum reſtat. Pro A. ducit.

METUS.

Metus, eſt perturbatio, quæ receſſum quendam animi, & fugam efficit. Cujus diſtributio duplex notanda eſt:

Prima enim divisione aut ex causa sua, aut aliena metus efficitur. Illius rursus duæ sunt species timor & pigritia.

TIMOR.

Timor, est metus ex futuro periculo suo. Sic Centurionem Scipio notavit; quod in pugna non affuisset ut est apud Ciceronem. Cum Africanus censor monebat eum Centurionem, qui in Pauli pugna nõ affuerat: cum ille se custodiæ causa diceret in castris remãsisse; quæreretque cur ab eo notaretur: non amo, inquit, nimium diligentes. Sic exercitus Cæsaris audita virtute Germanorum, timore affectus adeo quidem est, ut jam se indigna cogitaret: sic enim Cæsar de bello Gallico. Tantus subito timor omnem exercitum occupavit: ut non mediocriter omnium mentes, animosque perturbaret: hic primum ortus est a Tribunis militum, ac præfectis, reliquisque: qui ex urbe amicitiæ causa Cæsarem secuti non magnum in re militari usum habebant: quorum alius alia causa illata; quam sibi ad proficiscendum necessariam esse diceret, petebar, ut ejus voluntate discedere liceret. Non nulli pudore adducti, ut timoris suspitionem vitarent, remanebant: hi neque vultum fingere, neque interdum lachrymas tenere poterant: abditi in tabernaculis aut suum fatum querebantur: aut cum familiaribus suis commune periculum miserabantur. Horum vocibus ac timore paulatim etiam ii, qui magnum in castris usum habebant milites, centurionesque; quique equitatui præerant, perturbabantur. At Theodorus Lysimacho crucem minitante timore minime affectus est

De Orat. 2

Lib. 1.

„ sic enim Cicero. Cyrenæo Theodoro cum Lysima- Tusc. 1.
„ chus rex crucē minaretur; istis quæso, inquit, ista hor-
„ ribilia minitare purpuratis tuis: Theodori quidem ni-
„ hil interest; humine an sublime putrescat. Item è La- Cic. Tusc. 4.
„ cedæmoniis unus; cū Perses hostis in convivio dixisset
„ glorians, solē præ jaculorum multitudine nō videbitis,
„ in umbra igitur, inquit, pugnabimus.

PIGRITIA.

„ Pigritia, est metus ex labore cōsequente. Dolere se aje- Cic. Tusc. 4
„ bat Demosthenes: siquādo opificū ante lucaria victus
„ esset industria. P. Scipio, qui primus Aphricanus ap- Ciec. de
„ pellatus est, dicere solebat: nunquā se minus ociosum Offic. 3.
„ esse; quā cum ociosus: nec minus solū; quam cum solus
„ esset. Magnifica vero vox, & magno viro & sapiente
„ digna; quæ declarat illū & in otio de negotiis cogita-
„ re: & in solitudine secum loqui solitū: ut neque cessaret
„ unquam: & interdū colloquio alterius non egeret. Sic
„ Cato major ēt in senectute desudare atque elaborare
„ se dicit apud Ciceronē. Septimus mihi, ait, originū li- De Senect.
„ ber est in manibus: omnia antiquitatis monimēta col-
„ ligo: causarū illustrium, quascunque defendi, nunc quā
„ maxime cōficio orationes: jus augurum, pontificū, ci-
„ vile tracto: multū etiam literis Græcis utor: Pythago-
„ reorumq; more exercendæ memoriæ gratia, quid quo-
„ que die dixerim, audiverim, egerim commemoro ve-
„ speri. Hæ sunt exercitationes ingenii: hæc curri-
„ cula mentis. in his desudans atque elaborans corpo-
„ ris vires non magnopere desidero: adsum amicis: ve-
„ nio in Senatum frequens: ultroque affero res multum
„ & diu cogitatas: easque tueor animi, non corporis

" viribus: quæ si exequi nequirem: tamen me lectulus
" oblectaret meus ea ipsa cogitantem: quæ jam agere
" non possem: sed ut possim, facit acta vita.

METUS EX CAUSA ALIENA.

Aliena causa metum efficiunt res adversæ, aut secundæ. Sic Davus metu ex nuptiis afficitur, quas Pamphilo invito apparari sentit. Terentius in Andria.

" S. Hoc audi; ut hinc te jussi introire; opportune
" hic fit mihi obviam
" D. Hem num nam periimus? S. Gnatam ut det
" oro, vixque id exoro. D. Occidi.

Lib 4. ad zoilum Metu vero alienæ rei secundæ Zoilum affectum Martialis notat.

" Nunquam divitias Deos rogavi
" Contentum modicis, meoque lætus.
" Paupertas veniam dabis: recede:
" Causa est tam subiti, novique voti:
" Pendentem volo Zoilum videre.

TERROR.

Altera metus distributio, est in terrorem & pavorem. Terror, est metus concutiens; & veluti rei alicujus; quę minime arrideat; ictu labefactans: unde pallor, tremor

Aen. 11. & dentium crepitus consequitur. Hinc Virgilius.

" Vidit ab adverso venientes aggere Turnus:
" Videre Ausonii: gelidusque per ima cucurrit
" Ossa tremor.

Sic Aeneas terrore affectus est. Idem

Aeneid. 3. " Tum vero ancipiti mentem formidine pressus
" Obstupui: steteruntq; comæ: & vox faucibus hęsit.

Sic

Sic & Phaethon apud Ovidium exterritus est. Matamor. 3.

„ Ut summo despexit ab æthere terras
„ Infelix Phaethon penitus, penitusque jacentes
„ Palluit: & subito intremuere ossa timore.

EXANIMATIO.

Ad terrorem pertinet exanimatio per quam animus corpus deficit. Qua Iuliam Valerius Maximus affectam scribit. Consimilis affectus Iuliæ C. Cæsaris filiæ annotatus est: quæ cum ædilitiis comitiis Pōpeji magni conjugis sui vestem cruore resperſam è campo domum relatā vidisset: territa metu; nequa vis ei esset allata: exanimis concidit, partumque, quem in utero conceptum habebat, subita animi consternatione & gravi dolore corporis ejicere coacta est: atque ita expiravit. Lib. 4. ca. 6

PAVOR.

Pavor, est metus mentem loco movens. unde illud Ennianum apud Ciceronem. Tusc. 4.

„ Tum pavor sapientiam mihi omnem ex animo ex
„ spectoret.

Q. Cicero ab hostibus obsessus nullo quidem pacto de proposita legati ratione dejici potuit: ut injussu imperatoris ex hibernis decederet: ut est apud Cæsarem de bello Gallico. Cicero ad hæc unum modo respondit: non esse consuetudinem populi Romani ullam accipere ab hoste armato conditionem: si ab armis discedere velint; se adjutore utantur; legatosque ad Cæsarē mittant: sperare se pro ejus justitia; quæ petierint; impetraturos. Lib. 5.

L

CONTURBATIO.

Ad pavorem pertinet conturbatio excutiens cogitata. Sic Aeneas uxoris oblitus est, timens patri. Poeta.

Aeneid. 2.

» Hic mihi nescio quod trepido male numē amicū
» Confusam eripuit mentem: nanque avia cursu
» Dum sequor: & nota excedo regione viarum;
» Heu misero, conjux fatone erepta Creusa
» Substitit: erravitne via: seu fessa resedit
» Incertum: nec post oculis est reddita nostris
» Nec prius amissam respexi: animumque reflexi;
» Quam tumulum antiquæ Cereris, sedēq; sacratā
» Venimus. hic demum collectis omnibus una
» Defuit; & comites, natumque, virumque fefellit.

FORMIDO.

Formido metus nullum quidem novum genus est: sed metus permanens. Dionysio cū quidā ex ejus assentatoribus Damocles cōmemoraret in sermone copias eius opes, majestatem, dominatus, rerū abundantiā, magnificentiam ædium regiarum; negaretque unquā beatiorem quenquam fuisse. Visne igitur, inquit, o Damocle, quoniam hæc te vita delectat, ipse eandem degustare, & fortunam experiri meam? Cum se ille cupere dixisset: collocari jussit hominem in aureo lecto, strato pulcherrimo, textili stragulo, magnificis operibus picto; abacosque complures ornavit argento, auroque celato. Tum ad mensam eximia forma pueros delectos jussit consistere: eosque ad nutum illius intuentis diligenter ministrare. Aderant unguen-

Cic. Tus. 5.

„ ta, coronæ, incendebantur odores, mensæ conquitis-
„ simis epulis extruebantur. Fortunatus sibi Damocles
„ videbatur. In hoc medio apparatu fulgentem gla-
„ dium è lacunari, seta equina appensum demitti jussit;
„ ut impenderet illius beati cervicibus. Itaque nec pul-
„ chros illos administratores aspiciebat; nec plenum
„ artis argentum: nec manum porrigebat in mensam:
„ jam ipsæ defluebant coronæ. Denique exoravit ty-
„ rannum, ut abire liceret: quod jam beatus nollet esse.
„ Satisne videtur declarasse Dionysius: nihil esse ei bea
tum: cui semper aliquis terror impendat? Hæc de
metu, qui appropinquans aliquod malum metuit: ex-
animatusque pendet animi; quam vim significantes
mali, poetæ impendere apud inferos saxum tantalo
faciunt ob scelera; animique impotentiam: ea com-
munis pœna stultitiæ est: omnibus enim, quorũ mens
abhorret a ratione; semper aliquis aliis dolor, aliis me
tus impendet.

PERORATIO.

Hi sunt illi turbidi concitatique animorum motus aversi a recta ratione; & inimicissimi mentis, vitæque tranquillæ. Animos enim non solum conquassant, & perturbant; sed funditus etiam evertunt, atque corrũpunt: quam totius animi corruptionem morbum appellant: unde imbecillitas existit; quæ dicitur ægrotatio. Ex quibus deinde habitus sive affectio proficiscitur in tota vita inconstans, & a seipsa dissentiens; quæ vitiositas Ciceroni dicitur. Hinc illa Martialis admiratio orta est. Lib. 2.

„ Cum fitis fimiles, parefque vita
„ Uxor peffima; peffimus maritus:
„ Miror non bene convenire vobis.

Ita fit, ut in tanta corruptione opinionum cum morbus efficiatur & ægrotatio: tum inconftantia & repugnantia. Nam cum fervor concitatioque animi inveteraverit; & tanquam in venis medullifque infederit: tum exiftit & morbus & ægrotatio: & offenfiones eæ, quæ funt eis morbis, ægrotationibufque contrariæ; quemadmodum cum fanguis corruptus eft; aut pituita redundat, aut bilis in corpore; morbi, ægrotationefque nafcuntur: fic pravarum opinionum conturbatio, & ipfarum inter fe repugnantia fanitate animum fpoliat; morbifque perturbat. Nam cum eft concupita pecunia; nec adhibita continuo ratio, quafi quædam Socratica medicina: quæ fanaret eam cupiditatem; permanat in venas; & inhæret in vifceribus illud malũ exiftitque & morbus, & ægrotatio & vitiofitas quæ cile avelli inveterata non poffunt: ut non minus jucunde, quam graviter & copiofe Ovidius differit.

De remed. Lib. 1.

„ Dum licet, & modici tangunt præcordia motus;
„ Si piget: in primo limine fifte pedem.
„ Opprime dũ nova funt fubiti mala femina morbi;
„ Et tuus incipiens ire refiftat equus.
„ Nã mora dat vires: teneras mora percoquit uvas;
„ Et validas fegetes, quæ fuit herba, facit.
„ Quæ præbet latas arbor fpatiantibus umbras;
„ Quo pofita eft; primo tempore virga fuit.
„ Tunc poterat manibus fumma tellure revelli:
„ Nunc ftat in immenfum viribus aucta fuis.

„ Quale sit id; quod amas celeri circunspice mente;
„ Et tua læsuro subtrahe colla jugo.
„ Principiis obsta: sero medicina paratur;
„ Cum mala per longas convaluere moras.
„ Sed propera: nec te venturas differ in horas:
„ Qui non est hodie: cras minus aptus erit:
„ Verba dat omnis amās: reperitq; alimēta morādo
„ Optima vindictæ proxima quæque dies.
„ Flumina magna vides parvis de fontibus orta:
„ Plurima collectis multiplicantur aquis
„ Si cito sensisses; quantum peccare parabas;
„ Non tegeres vultus cortice Myrrha tuos.
„ Vidi ego: quod fuerat primo sanabile vulnus
„ Dilatum longæ damna tulisse moræ.
„ Si tamen auxilii perierunt tempora primi:
„ Et vetus in capto pectore sedit amor.
„ Majus opus superest: sed non quia serior ægro
„ Advocor: ille mihi destituendus erit.

Horum autem tot, tantorumque malorum in una virtute posita sanatio est: quæ Latinis Fortitudo; Græcis ἀνδρεία dicitur · idest, ut verbū de verbo exprimā virilitas: quod hæc nos viros conservat: & ne nos auferant animi perturbationes, tollamurque ab humano corpore; atque a ratiocinantium consessu in corpora belluarum: & in consessum animantium ratione carentium transferamur, custodit: quamobrem & conseruatio stabilis judicii dicitur; custosque dignitatis. Unde is, quisquis est, qui nec alacritate futuli gestiens deliquescat: nec tabescat molestiis: neque sitienter quid appetens ardeat desiderio: neque frangatur timore: cui nihil humanarum rerum, aut nimis

lætabile ad efferendum videri poteſt; aut intolerabile ad dimittendum animum; vere fortis; vere vir haberi, dicique poteſt. Nam quencunque caſum fortuna invexerit; hunc apte & quiete fert. Quod qui faciet; non morbis ægrotationibuſque & vitioſitate ſolum, verum etiem perturbationibus ipſis omnibus vacabit. Idemque concitatus & abſtractus ab integra, certaque ratione non perturbationibus ſolum afficietur: ſed amittet etiam conſtantiam, atque ſanitatem.

A. CAESARIS BELLINI MACTI

IURECONSULTI ACADEMICI VITERBIENSIS INSTITUTIONUM MORALIUM

LIBER. IIII.



Rudentia, est virtus moralis, quæ in delectu honesti versatur. Quam adjuvant maxime scientia, & experientia, quamobrem dicitur prudentiam senectus afferre, sed de his postea, nunc duas prudentiæ partes cõsilium & solertiam agamus.

CONSILIUM.

Consilium, est prior prudentiæ pars, quæ in singulis actionibus honestum sibi proponit. Unde consilium dicitur; quod in id unum omnes fere animi vires & conatus consiliunt, atque conveniunt. Sic Cicero actiones suas omnes ad honestatem referebat eamque semper præ oculis habebat; ut ipse met literis mandavit. Pro Archi

,, Nam nisi multorum, inquiens, præceptis, multisque li-
,, teris mihi ab adolescentia suasissem, nihil esse in vita
,, magnopere expetendum, nisi laudem atque honesta-
,, tem, in ea autem persequenda omnes cruciatus cor-
,, poris, omnia pericula mortis, atque exilii parvi esse du
,, cenda; nunquam me pro salute vestra in tot ac tantas
,, dimicationes; atque in hos profligatorum hominum,
,, quotidianos impetus objecissem. Huc spectat illud

quam

,, Ciceronis consilium,& idem Themistoclis; quod est
De offic. 3. ,, apud Ciceronē. Quamobrem melius,ait,apud bonos ,, quā apud fortunatos beneficiū collocari puto: danda ,, omnino opera est; ut omni generi satisfacere possimus ,, sed si res in cōtentionē veniet;nimirū Themistocles est ,, auctor adhibendus: qui cū consuleretur; utrum bono ,, viro pauperi,an minus probato diviti filiam colloca- ,, ret; Ego vero,inquit, malo virum,qui pecunia egeat: quam pecuniam; quæ viro. Sic Metrodorus, qui licet omne bonum in visceribus,medullisque condidisse videretur,tamen gloriatur fortunæ aditus interclu
Tusc. 5. sisse; ut est apud Ciceronem: Occupaui,inquit,te fortuna,atque cœpi,omnesque aditus tuos interclusi, ut ,, ad me aspirare non posses. Ad hoc Socrates philosophiam devocavit è cœlo, & in urbibus collocavit, & in domos etiam introduxit, & coegit de vita, & moribus; rebusque bonis & malis quærere.

SOLERTIA.

Solertia, est altera pars prudentiæ, quæ in perspicientia versatur honesti. Ex qua illud laudatur Architę, qui cum villico factus esset iratus, maluit impunitum
Li.4. ca. 1. eum dimittere, quam per iram punitionis modum excedere. Sic enim Valerius Maximus. Tarentinus ,, Architas,dum se Pythagoræ præceptis Metaponti pe ,, nitus immergit,magno labore, lungoque tempore so ,, lidum opus doctrinæ complexus, postquam in patriā ,, revertitur,ac rura sua revisere cœpit, animadvertit, ,, negligentia villici corrupta & perdita: intuensque ,, male meritum; Sumpsissem,inquit,a te supplicium; nisi ,, tibi iratus essem, maluit enim impunitum dimittere; quam

„ quam propter iram gravius justo punire. Hinc illa ju-
„ re laudantur.

„ Ego cum genui, tum moriturum scivi, & ei rei su- Cic. Tus. 3.
„ stuli;
„ Præterea ad Trojam cum misi ad defendendam
„ Græciam
„ Scibam me in mortiferum bellum; non in epulas
„ mittere.

Itaque apud Euripidem a Theseo dicta laudantur: Cice Ibid.
licet enim, ut sæpe facimus in latinum illa convertere.
„ Nam qui hæc audita a docto meminissem viro:
„ Futuras mecum commentabar miserias:
„ Aut mortem acerbam: aut exilii mœstam fugam:
„ Aut semper aliquam molem meditabar mali:
„ Si qua invecta diritas casu foret.

Et nimirum hæc est illa præstans & divina sapientia perceptas penitus, & pertractatas res humanas habere: nihil admirari cum acciderit: nihil antequam evenerit, non evenire posse arbitrari. Idē ibid. ex Phor. Terentij

„ Quamobrem omnes; cum secundæ res sunt ma-
„ xime
„ Meditari secum oportet: quo pacto adversam æ-
„ rumnam ferant;
„ Pericla, dāna, exilia: peregre rediēs sēper cogitet,
„ Aut filii peccatum: aut uxoris mortem; aut mor-
„ bum filiæ:
„ Communia esse hæc; & fieri posse; ut ne quid ani-
„ mo sit novum:
„ Quicquid præter spem eveniat; omne id deputa-

M

" re esse in lucro.

Hactenus de consilio, & solertia: nunc de iis, quæ prudentiam adjuvant scientia, & experientia dicendum restat.

SCIENTIA.

Scientiam doctrinæ commodioris gratia nunc appellamus artis, vel rei cujusque cognitionem. Ars vero, ut ait Cicero, dux est certior quam natura: habet enim quędam quasi ad commonendum, quo quidque referas, & quo intuens ab eo, quod tibi proposueris, minus aberres; quamobrem Virgilius recte. (Geor lib. 2)

" Felix, qui potuit rerum cognoscere causas:
" Atque metus omnes, & inexorabile fatum
" Subjecit pedibus: strepitumque Acherōtis avari.

Hinc apud Persium illa ducitur exhortatio:

" Disciteque, o miseri: & causas cognoscite rerum.
" Quid sumus: aut quidnam victuri gignimur: ordo
" Quis datus: aut metæ quam mollis flexus: & unde:
" Quis modus argenso: quid fas optare: quid asper
" Utile nūmus habet: patriæq; charisq; propinquis
" Quantum elargiri deceat, quem te Deus esse
" Jussit: & humana qua parte locatus es in re.

(De Fato.) Sic a Stylpone doctrina vitam honeste institutam Cicero memoriæ commendavit. Stylponem Megaricum philosophum acutum sane hominem, & probatū temporibus illis accepimus. Hunc scribunt ipsius familiares & ebriosum, & mulierosum fuisse, neque hoc scribunt vituperantes, sed potius ad laudem, vitiosam enim naturam ab eo sic edomitam & compressam esse doctrina, ut nemo unquam vinolentum illum, nemo

„ in eum libidinis vestigium viderit. Sic genus huma-
„ num doctissimorum hominũ consiliis se oppidis mœ-
„ nibusque sepsisse dicitur, ut est apud Ciceronem. Ne- De Orat. 2
„ mo, ait, est, qui nesciat initio genus humanum in mō-
„ tibus ac sylvis dissipatum prudentium consiliis com-
„ pulsum, ac disertorum oratione delinitum se oppidis
„ mœnibusque sepsisse. Sed scientiæ genera distinguen-
„ do speciatim in singulis utilitatem ostendere com-
„ modius fuerit.

MORALIS.

Scientia igitur aut princeps est, aut velut administra Princeps, quæ principem ad honestatẽ ostendendam locum tenet. Hæc moralis est. Sic Socrates philosophiæ moralis peritissimus vitia sibi a natura insita dejecit: ut est apud Ciceronem. Cum multa in con- Tusc. lib. 4
„ ventu vitia collegisset in eum Zopyrus, qui se naturã
„ cujusque ex forma perspicere profiteretur, derisus est
„ a cæteris, qui illa in Socrate non agnoscerent: eb ipso
„ autem Socrate sublevatus est: cum illa sibi signa inesse
„ sed ratione a se dejecta diceret.

LEX.

Scientia velut administra aut tanquam Architectus imperat; aut tanquam faber operam subministrat. Illa lex est: qua bene moratæ civitatis status constituitur, & conservatur: quippe quæ aut spe præmiorum, aut metu pœnarum homines bonos efficere studet. Quamobrem Cicero; Hoc enim, ait, vinculum est hu- Pro Cluen
„ jus dignitatis, qua fruimur in Republica, hoc funda-

„ mentum libertatis: hic fons æquitatis: mens & animus,
„ & cõsilium, & sententia civitatis posita est in legibus.
„ Ut corpora nostra sine mente: sic civitas sine lege suis
„ partibus, ut nervis ac sanguine, & membris uti non potest.

NATURALIS.

Quæ operam subministrat, aut in sola naturæ cognitione, aut in actione versatur. Ad solam naturæ cognitionem pertinet scientia naturalis; cujus maxima utilitas est. Nam æterna rationum omnium in mente complexio, perpetuusque veritatis intuitus justitiæ notitiam affert; cum cognitum habeas quod sit summi rectoris & domini numen, quod consilium, quæ voluntas: & temperantiæ his, qui videant, quantus sit apud Deum ordo, quanta moderatio: necnon & magnitudinis animi Dei opera & facta cernentibus: Aristoteles ex naturæ contemplatione Deum esse, rerumque omnium procreatorem ratiocinatur: sic enim Cicero: Preclare ergo Aristoteles. si essent, inquit, qui
„ sub terra semper habitavissent bonis, & illustribus do-
„ miciliis; quæ essent ornata signis, atque picturis, instru-
„ ctaque rebus iis omnibus, quibus abundant ii, qui be-
„ ati putantur: nec tamen exissent unquam supra terram
„ accepissent autem fama & auditione esse quoddam nu-
„ men, & vim Deorum: deinde aliquo tempore patefa-
„ ctis terræ faucibus ex illis abditis sedibus evadere in
„ hæc loca, quæ nos incolimus, atque exire potuissent:
„ cum repente terram & maria, cœlumque vidissent; nu-
„ bium magnitudinem, ventorumq; vim cognovissent;
„ aspexissentque solem, ejusque tum magnitudinem, pul
„ chritudinemque, tum etiam efficientiam cognovis-

„ ſent;quod is diem efficeret toto cœlo luce diffuſa:cum
„ autem terras nox opacaſſet;tum cœlum totum cerne-
„ rent aſtris diſtinctum,& ornatum ;lunæque luminum
„ varietatem tum creſcentis , tum ſeneſcentis : eorum-
„ que omnium ortus & occaſus ;atque in omni æterni-
„ tate ratos immutabileſque curſus. Hæc cum viderēt,
„ profecto & eſſe Deos,& hæc tanta opera Deorum eſſe
„ arbitrarentur. Atque hæc quidem ille. Sic Anaxi-
mander phyſicus Lacedæmonios morti ſubtraxit; ut
„ Cicero ſcribit. Sed nullam eorum divinationem vo- De divin. lib.1.
„ co, ne illam quidam, qua ab Anaximandro phyſico
„ moniti Lacedæmonii ſunt ut urbē & tecta linquerent
„ armatique in agro excubarent; quod terræmotus in-
„ ſtaret: tum cum & urbs tota corruit,& ex monte Tay-
„ geto extrema montis quaſi puppis avulſa eſt.

DIALECTICA.

Actio,quam circa ſcientia occupatur,aut ſolius ani
mi eſt,aut etiam corporis. In actione ſolius animi Di-
alectica verſatur, quæ tota rationis eſt. Anaximenes
dialectica adjutus patriæ ſubvenit: ſic enim Valerius.
„ Lampſacenæ vero urbis ſalus unius vaframenti bene- Li.7. ca.3.
„ ficio cōſtitit: nam cum ad excidium ejus ſummo ſtu-
„ dio Alexander ferretur; progreſſumque extra mœnia
„ Anaximenem præceptorem ſuum vidiſſet: quia mani
„ feſtum erat futurum ;ut præces ſuas iræ ejus oppone-
„ ret: non facturum ſe,quod petiſſet; juravit: tum Ana
„ ximenes,peto,inquit,ut Lampſacum diruas. Hæc ve
„ locitas ſagacitatis oppidum vetuſta nobilitate inclitū
„ excidio,cui deſtinatum erat,ſubtraxit. Huc ſpectat a-
pud eundem reſponſio,qua Aſinarius quidam Alexan

drum ab errore revocavit. Cum Alexander Mace-
„ donũ rex forte monitus ut eum, qui sibi porta egresso
„ primus occurisset interfici juberet: Asinarium forte si
„ bi obviam factum ad mortem arripi imperavit: eoque
„ quærente quidnam se immerentem capitali supplicio,
„ innocentemque addiceret: cum ad excusandum factũ
„ suum oraculi præceptum retulisset: Asinarius si ita est
„ (inquit) rex, aliũ sors huic morti destinavit: nam Asel
„ lus, quem ego ante agebam, prior tibi occurrit.

ARITHMETICA, GEOMETRIA, OPTICA.

Scientia, quæ in corporis etiam actione versatur, aut ad animum, aut ad corpus pertinet. Rursus illa rei, aut orationis est. Rei autem sunt Arithmetica, Geometria, & Optica, quam vocant. Arithmeticæ utilitates in rationibus ineundis quotidie in communi hominum commercio experimur. Sic Archimedes furtum comperit, aurique subtracti quantitatem invenit; de quo Q. Rhemnius

Lib. de pō. & mensu.

„ Regem nanque ferunt Siculum, quã voverat olim
„ Cœli colum Regi, ex auro statuisse coronam.
„ Compertoque dehinc furto, nam parte retenti
„ Tantundemque argenti opifex immiscuit auro,
„ Orasse ingenium civis, qui mente sagaci
„ Quis modus argenti fulvo latitaret in auro,
„ Repperit, illæsum quod diis erant ante dicatum

Geometriæ item utilitates in communi hominum commercio reipsa in rebus metiendis sentimus. Per hanc Aegyptii ne anniversaria Nili inundatione & incrementis, limo obducti agrorum termini confunderentur, consequebantur. Quantam vero Optica

utilitatem conferat, tacendum potius esse duco, quam scribendum, ne rudibus incredibilia dicere videar, si spæculorum usum, & effecta perstringere velim. Hinc instrumenta, quibus ad oculos admotis utimur, ad aciem senectute, vel affectione aliqua debilitatam adjuvandum. Hinc rerum affectiones oculis subjiciuntur, & utilitates aliæ permultæ percipiuntur.

MUSICA, RHETORICA, GRAMMATICA.

Oratio aut loquens, aut muta intelligi potest. Illius sunt Musica, Rhetorica, & Grammatica. Musica animum recreat, alacriorem, & promptiorem ad ratiocinandum bonumque capessendum efficit, sedatque perturbationes. Sic enim Cicero de Pythagoreis loquens. Nam cum carminibus soliti illi esse dicantur & præcepta quædam occultius tradere, & mentes suas a cogitationum intentione cantu fidibusque ad tranquillitatem traducere. Hinc ille Romanorum mos, q est apud eundem. Gravissimus auctor in originibus dixit Cato, morem apud majores hunc epularũ fuisse, ut deinceps qui accubarent, canerent ad tibiam clarorum virorum laudes, atque virtutes. Huc spectant præclara illa, quæ de Orpheo narrantur de quo Horatius.

Tusc. 4.

Ibidem.

In arte.

Sylvestres homines sacer, interpresque Deorum
Cædibus & victu fœdo deterruit Orpheus
Dictus ob id lenire tygres, rapidosque leones.

Huc spectat Virgilius etiam de eodem

Geor. li. 4.

At cantũ commotæ Erebi de sedibus imis
Umbræ ibant tenues: simulacraque luce carentũ:
Quam multa in sylvis avium se millia condunt;

» Antonium obtruncandum, sermone ejus obstupefacti;
» districtos jam & vibratos gladios cruore vacuos vaginis reddiderunt. Sic Grammatica linguam moderando & regendo multas maximasque humani generis utilitates, quæ ex oratione percipiuntur, cobtinet, tuetur, & conservat. Hinc illa apud Plinium laus Italiæ sumitur. Terra omnium terrarum, ait, alumna, eadem & parens numine Deum electa, quæ cœlū ipsum clarius faceret: sparsa congregaret imperia, ritusque molliret: & tot populorum discordes, ferasque linguas sermonis commercio contraheret ad colloquia, & humanitatem hominibus daret. Lib 3. ca. 5.

ARS SCULPENDI ET PINGENDI

Signa & imagines, mutæ quædam orationes esse videntur, quibus homo ad illorum hominum, qui imaginibus representantur, virtutes imitādas admonetur quamobrem pictores & poetæ ubique similes ponuntur: sic enim Horatius.

Pictoribus atque poetis In arte.
» Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas.
ut jure meritoque de his etiā intelligi debeat, id quod Horatius de poetis tradit in arte.
» Aut prodesse volunt, aut delectare poetæ,
» Aut simul & jucunda, & idonea dicere vitæ,

EXERCITATIO, AGRICULTURA, MILITIA, NAUTICA.

Cognitio, quæ ad corpus pertinet, liberalis; aut illiberalis est. Liberalis, aut per se, ut exercitatio est; aut

N

per ea, quæ corpori necessaria sunt; qualis agricultura est; aut per utraq; ad corpus pertinet, ut militia, & nautica. Hinc illa Cornelii Celsi præcepta de exercitatione sani: Hunc oportet varium habere vitæ genus: modo ruri esse, modo in urbe: sæpiusque in agro: navigare; venari; quiescere interdum, sed frequentius se exercere. Siquidem ignavia corpus hebetat: labor firmat: illa maturam senectutem: hic longam adolescentiam reddit. Hinc illud: exercitatio plus habet momenti ad honestatem, quam natura: siquidem consuetudine virtus perficitur. Agriculturæ vero laus & utilitas a Cicerone ita describitur. Mea quidem sententia haud scio, hac an ulla vita beatior esse possit: neq; solum officio, quod hominum generi universo cultura agrorum est salutaris: sed & delectatione, quam dixi, & saturitate, copiaque omnium rerum quæ ad victum hominum, & cultum etiam deorum pertinent: ut quoniam hæc quidem desiderant, in gratiam jam cum voluptate redeamus. semper enim boni assiduique domini referta cella vinaria; olearia; & penuaria est; villaque tota locuples est; abundat porco; hoedo; agno; gallina; lacte; caseo; melle. jam hortum ipsi agricolæ succidiam alteram appellant. tū conditiora facit hæc supervacaneis operis aucupium, atque venatio. Quid de pratorū viriditate, aut arborum ordinibus, aut vinearum, olivetorumve specie dicam? brevi expediam Agro bene culto nil potest esse nec usu uberius, nec specie ornatius. Militiæ item utilitas est, cum bello pacē quærit, honēstatē tuetur, injuriāque procul arcet. quāobrem Cicero. Rei militaris virtus præstat cæteris virtutibus: omnia nostra studia, & hæc forensis laus, & industria latent in tutela ac præsidio bellicæ virtutis, &

Lib. 1. ca. 1.

De Senect.

Pro Murena.

» simul atque increbuit suspicio tumultus, artes illico
» nostræ côticescunt. Omnia denique, quæ sunt in impe
» rio, in statu civitatis, ab iis defendi & firmari putantur;
» qui militari virtute antecellunt. Sed, ut dixi, suscipi- Cicc. de
» enda bella sunt, ut in pace sine injuria vivatur. Hoc Offic. lib. 1.
etiam apparitores judicum spectant qui & ipsi milites
dicuntur. Navium itẽ usus quantam utilitatem afferat Cômen. 4.
Cæsar declarat. Quod ubi Cæsar animadvertit, in- de bell.
» quiens, naves longas, quarum & species Barbaris erat Gall.
» inusitatior, & motus ad usum expeditior, paulum re-
» moueri ab onerariis navibus, & remis incitari, & ad la
» tus apertum hostium constitui: atque inde fundis, tor-
» mentis, sagittis hostes propelli, ac summoveri jussit:
» quæ res magno usui nostris fuit. Nam & navium figu-
» ra, & remorum motu, & inusitato genere tormentorũ
» permoti Barbari constiterunt, ac paululum modo pe-
» dem retulerunt. Præterea nomina ipsa, quibus appel-
» lantur, ut Fluviatiles, Frumentariæ, Vinariæ, Piscato-
» riæ, Onerariæ, speculatoriæ, cursoriæ, navium utilita-
» tes præ se maximas ferunt.

MEDICINA, ET ARTES SORDIDAE.

Reliqua nunc nobis est Medicina, & artes sordidæ, quarum operæ præcio emuntur. Sanitatem ægris Medicina promittit: sic Podalyrius, & Machaõ bello Trojano ducem Agamemnonem secuti non mediocrem opem commilitonibus suis attulerunt. Quos tamen Homerus non in pestilentia, neque in variis generibus morborum aliquid attulisse auxilii, sed vulneribus tantummodo ferro & medicamentis mederi solitos esse proposuit. Plastas, & Fabros silentio prætereundũ cen- Celsus li. 1.

seo. Quis enim instrumentorum supellectilium, cerebrorum, similiumque commoditates non sentit? Quem ædificiorum, vestium, instrumentorum bellicorum ad urbium defensionem, hostiumque vim propulsandam; trutinarum staterarumque, quibus exacta numerorũ æqualitas in civitate retinetur, commoda fugiunt? quem fabrum aurerium, ferrarium, tignarium, reliquorumque usus & utilitas latet? Nunc illud monendum restat; nimirum unius rei cognitionem ad aliarum cognitionem & usum conferre: quamobrem Græci scientias in orbem agi dixerunt; quem illi circulum Encyclopediam appellant. quod Poetæ etiam sensisse videntur, cum Musas sorores germanas esse tradiderint. Sic agriculturæ præcepta ex physica petuntur: istius etiam auxilio Nautæ per æquora vehuntur, sic enim Virgilius:

Geor. li. 1.

„ Præterea tam sunt Arcturi sydera nobis,
„ Hoedorumque dies servandi, & lucidus anguis
„ Quã quibus in patriã ventosa per æquora vectis
„ Pontus, & ostriferi fauces tentantur Abydi.

Sed omnes ad Apollinem referuntur, & cum ipsius lyræ sono, id est cum honestate consentire debent, ad summumque bonum tendere: quamobrem eis ad volandum alæ esse dicuntur.

EXPERIENTIA AC PRIMUM PROPRIA.

Experientia in usu rerum consistit, ex qua eventum actionis suscipiendæ cõjicimus. Eaque propria est, aut aliena: Experiẽtia propria est, cum experti sumus ipsi. Sic Cæsar cum castra haberet inter flumina duo Sicorim, & Cingam spatio millium triginta atque yi tem-

pestatis, aquarumque multitudine ambobus pontibus interruptis, ut neutrum horum fluminum transiri posset, necessarioque maximis angustiis tenerentur: navibus repente factis, quas cum superiorum annorũ usus docuerat, angustias evasit: sic enim Cæsar de bello civili. Cum in his angustiis, ait, res esset: atque omnes viæ ab Afranianis militibus, equitibusq; obsiderentur: nec Lib. 1.
„ pontes perfici possent; imperat militibus Cæsar; ut na-
„ ves faciant cujus generis eum superioribus annis usus
„ Britanniæ docuerat. Carinæ primum ac statumina
„ ex levi materia fiebant: reliquum corpus naviũ vimi-
„ nibus contextum coriis integebatur: has perfectas car
„ ris junctis devehit noctu millia passuum a castris xxii,
„ militesque his navibus flumen transportat; continen-
„ temque ripæ collem improviso occupat: hũc celeriter

priusquã ab adversariis sentiatur, communit: Sic Ligus Castelli, quod expugnari non poterat, capiendi cõsiliũ init; Marioque demonstrat. Sallustius. Quæ cum multos dies, noctesque æstuans agitaret, forte quidã Ligus De bell. jugur.
„ ex cohortibus auxiliariis miles gregarius castris aqua
„ tũ egressus haud procul ab latere castelli, quod adver-
„ sum prælianribus erat, animadvertit inter saxa repen-
„ tes cochleas: quarum cũ vnam, atque alteram, deinde
„ plures peteret, studio legendi paulatim prope ad sum/
„ mũ montis egressus est: ubi postquam solitudinem in/
„ tellexit: more ingenii humani cupido difficilia faciẽdi
„ animadvertit. Et forte in eo loco grandis ilex coalu-
„ erat inter saxa, paulũ modo prona; deinde inflexa, atq;
„ aucta in altitudinem; quo cũcta gignentiũ natura fert:
„ cujus ramis modo; modo eminentibus saxis nixus Li-
„ gus castelli planitiem perscribit: quod cũcti Numidæ
„ intenti præliantibus aberant: exploratis omnibus; quę

N iii

„ mox usui fore ducebat: eadem regreditur non temere, uti ascenderat; sed tentans omnia, & circunspiciens. Itaque propere adiit Marium: acta edocet: hortatur, ab ea parte, qua ipse ascenderat, castellum tentet, pollicetur sese ducem itineris: periculique nihil esse docet.

EXPERIENTIA ALIENA,

In eodem: Experientia vero aliena est, cum experientibus aliis quid evenerit, observamus. Sic Marius eam diligentiam & industriam adhibens; qua Metellus in capienda Thala, & recipienda Vacca usus fuerat, Capsam coepit: ut est apud Sallustium. Denique sexto die „ cum ad flumen ventū est, maxima vis utrium effecta: „ ibi castris levi munimento positis milites cibum capere; atque uti simul cum occasu solis egrederentur, paratos esse jubet; omnibus sarcinis abjectis; aqua modo seque & jumenta onerare: deinde postquam tempus visum castris egreditur: noctemque totam itinere facto consedit: idem proxima facit: deinde tertia multo ante lucis adventum pervenit in locum tumulosum, a Capsa non amplius duum millium intervallo: ibique quam occultissime potest, cum omnibus copiis opperitur: sed ubi dies coepit, & Numidæ nihil hostile metuentes multi oppido egressi, repente omnem equitatum, & cum his velocissimos pedites cursu tendere ad Capsam, & portas obsidere jubet: deinde ipse intentus propere sequi: neque milites prædari sinere: quæ postquam oppidani cognovere; res trepidæ, metus ingens, malum improvisum, ad hoc pars civium extra moenia in hostium potestate coegere uti deditio-

tiem facerent: Huc historiarium, huc poetarum fructus omnis referri debet: quamobrem .M. Tullius recte: Quam multas nobis imagines (ait) non solum ad intuendum, verum etiam ad imitandum fortissimorum virorum expressas scriptores & Graeci & Latini reliquerunt? quas ego mihi semper in administranda Republica proponens animum, & mentem meam ipsa cogitatione hominum excellentium conformabam. Huc etiam fictae fabulae, & poetarum narrationes referendae: sic enim Horatius. Pro Archi. Epist. 1.

Quod si me populus Romanus forte roget, cur
Non ut porticibus, sic judiciis fruar iisdem;
Nec sequar ac fugiam, quae diligit ipse, vel odit.
Olim quod Vulpes aegroto cauta leoni
Respondit; referam: quia me vestigia terrent
Omnia te adversum spectantia, nulla retrorsum.

Hactenus de utraque experientiae parte: quarum illa utilior est, haec expeditior: quod nobis ipsis, experiri multa si velimus, facile non licet: labore opus est, ac tempore; & fortuna tentanda: nec tentatur interdum sine periculo. Sed de singulis virtutibus moralibus, & earum quatuor generibus satis. Praestantiam, excellentiamque virtutum moralium justitia sibi vendicat; deinde temperantia; tum fortitudo; prudentia omnium postrema est. Nam si justitia constiterit; caeteras esse virtutes morales est necesse; non contra. Si temperantia; & fortitudinem & prudentiam; non contra. Sic videlicet antecedentibus in consequentes suum quodammodo jus est: tametsi in agendo contra accidit: prudentia enim sit prius in actione honesta opor-

tet; quam homo honeste aliquid agat: fortitudo succedit: quam sequitur temperantia; tandem juste agimus, & honestatis munere fungimur; vitaque beata fruimur. Hic quidam rerum processus est; quo res omnes gradatim sursum versus ad Deum redeunt: quibus tanquam gradibus in cœlum videntur homines ascendere.

PERORATIO OPERIS.

Habemus jam adumbratam quandam honestatis formam, & quasi faciem in tempestate sæva quietam, lucentem in tenebris, pulsam loco manentem tamen atque hærentem in Deo; splendentemque per se semper; neque alienis sordibus obsolescentem: sine qua omnis scientia calliditas potius; quam sapientia est appellanda. Omnia vero alia falsa, incerta sunt, caduca, mobilia: virtus est una altissimis defixa radicibus; quæ nulla unquam vi labefactari potest: quam si oculis cerneremus: mirabiles amores excitaret sui: nihil est enim virtute formosius; nihil pulchrius; nihil amabilius: qua nihil a Deo immortali uberius, nihil florentius, nihil præstabilius hominum menti, vitæque datum est. Hic lucem quandam cœlestem, atque divinam mihi videre videor: per quam, ut per solem mundus, sic animus partibus omnibus illuminatur: Cujus tanta est magnitudo; ut cuncta ad rationem spectantia sua luce lustret, & compleat. Quamobrem cum animus exacuerit illam, ut oculorum, sic ingenii aciem ad bona deligenda; rejicienda contraria: a corporis absequio, indulgentiaque discesserit;

voluptatem

voluptatemque ſicut maculam aliquam dedecoris oppreſſerit: omnemque ægritudinem, timoremque effugerit: cultum Dei, puramque religionem ſuſceperit; ſocietatemque charitatis coierit cum Deo, & cum hominibus: omnes natura conjunctos ſuos duxerit, quid eo dici, aut excogitari poterit beatius? In hac vita honeſta, bone Deus, quam contemnet, quam deſpiciet, quam pro nihilo putabit ea, quæ vulgo putantur ampliſſima. Omnia, quæ cadere in hominem poſſunt, ſubter ſe habebit, eaque deſpiciens caſus contemnet humanos: curaque omni carens præter honeſtatem nihil cenſebit ad ſe pertinere.

A. CAESARIS BELLINI MACTI IURECONSULTI ACADEMICI VITERBIENSIS INSTITUTIONUM MORALIUM FINIS.

Tametsi & ipse Augustinus Impressor summam adhibuerit diligentiam, & ego ferè semper adfuerim: fieri tamen non potuit; quin errores nonnulli nostros effugerint oculos, nedum manus illius. Quos Lectori corrigendos committimus. Sed hoc tantum monemus, vocales, i, & u, hac forma nos uti; consonantes autem ista. j. v. Hæc differentia nonnunquam minime servata est; quod ubi animadvertes, per te corrigas licet. Præterea Impressores, siqui forte opera nostra suis literarum formis committere voluerint, oramus, ut hanc istam literarum seu formarum differentiam retineant, & diligenter observent.

82

A. CAESARIS
BELLINI MACTI
IURECONSULTI ACADEMICI VITERBIENSIS SUMMA LEGIS PARTITIO

AD PIUM V. PONT. OPT. MAX.



VITERBII.
Apud Augustinum Colaldum, Anno a Christo nato.
M. D. LXVIII.

PIO V. PONT. OPT. MAX.

CAESAR MACTUS



OGITANTI mihi sæpenumero, & in memoria vetera repetenti perfectior atque absolutior nunc esse, Pont. Max. quam unquam fuerit, legum doctrina videri solet, quæ cum & Pontificũ Max. Conciliorumque & Imperatorum constitutionibus floret, tum summorum excellentiumque hominum ingenijs aucta, & ad summum fere perfectionis gradum perducta est. Verum enim vero cum tot legum volumina, voluminumque varios ordines & dispositiones considero, methodi desiderium in hac legum doctrina me maximum tenet: Iustinianumque alterum ab Deo gentibus oro, qui illius conatus, optimos illos quidem perficiat, ut leges facilius non solum doceri, percipique possint, verum ad controversias etiam componendas occurrant. Hunc aut esse te, aut fortasse nunquam futurum puto: Siquidem studium erga Remp. Christianam tuum præclarissimum cernimus: ætas vero nostra doctorum hominum ingeniis fœcunda est: ut neque voluntas, neque facultas tibi deesse possit. Quamobrem cum a prima adolescentia in hanc ipse rem incubuerim, viamque & rationem veram, nisi fallor, id efficiendi tandem excogitaverim: constitui summam quandam legis partitionem edere, & ad te mittere: ut ordinis istius facilitatem, brevitatem, certitudinemque, & fœcunditatem considerans animum ad opus præclarissimum Reip. præstandũ adijcias. Hoc neque gloriosius, neque præstantius, neque utilius ullũ pietatis opus præstare potes. Vale teque Reip. incolumem conserva. Dat. Viterbii.

SUMMA LEGIS PARTITIO



EGUM doctrinam descripturus primum cogitare debet; omnia, quæ sunt in arte, unius ejusdemque generis esse; aut quodammodo, ut Aristoteles primi de Domest, cap. 4.7.9.19. scribit. Unius ejusdemque generis sunt species: quodammodo propriæ affectiones, & adjunctæ qualitates: unde Ciceronis error apparet: quippe qui plura genera summa legis esse cogitaret. Hoc igitur genus animadvertere, & definitione perstringere debet: quo omnia legis præcepta inter se differentia, unum idemque dicuntur. Tum, ut cognitio ex causis, ex notioribus, inquam, natura proficiscatur, id genus summum summo loco ponere debet. Hoc est legis principium primum: quod reliquorū clarissimū, suaque luce, & natura notissimum est: quod intellectus per se percipit, ac statim arripit: quin immo, ut Philoponus ad vicesimum sextum caput primi de Demost. (si recte memoria repeto) scribit, hoc ipsum principiū scientiæ, intellectus est: quia communium notionum perceptio, & omnino primarum propositionū cognitio; quæ sine syllogismo in nobis est; extrema quędam, & obambulans intellectus hujus est actio: unde tanquam ex causa reliquorum principiorū scientia deducitur, & ignotiora cognoscuntur. Id igitur definitione concludi ita debet. Lex, est virtus præcipiendi honesta, turpiaque prohibendi. Sed quoniam omnis doctrina ex prænotione, & anticipatione, ut Aristoteles ait capite primo primi de Demonst. fit: eaque duplici, rerum, & verborum: rei prænotione & anticipatione proposita, verbi etiam prænotio ad illam illustrandam

quam nunc omitto, ne longus sim. Hac autem duplici rei & nominis praenotione proposita ad media genera accedendum. Proxima autem huic generi distributio est in causas efficientes; quae est haec. Comparatur autem lex natura, doctrina, exercitatione. Natura nanque praecipiendi honesta, turpiaque prohibendi principium instituit; institutum doctrina propriis, & idoneis praeceptis instruit; instructum ab arte exercitatio in opus educit, atque ita absolvit. Quae distributio exemplo illustranda est, atque probanda: quam rationibus etiam & authoritatibus nūc stabilire possem sed brevitati studendum censeo. Sequitur ars. Naturalis autem propensionis ad praecipiendum honesta; turpiaque prohibēdum fines quousque progredi possint, ars intuetur, & praeceptis ad usum naturę congruentibus interpretatur. Quae Artis particula Aristotelis authoritate cōfirmatur, quippe qui a sensibus, & singularium inductione, rerum omnium scientias ortas esse affirmat cap. 14. primi de Demonst. & cap. 1. primi Methaphysici Platonis Polum in Gorgia citans & laudans; itaque omnis disciplinae principia statuuntur experientia, observatio, inductio. Et in Ethicis generaliter dicit: Omnium virtutum non solum moralium; sed cognitione, & scientia comprehensarum dotes a natura nobis ingeneratas esse: easque appellat naturales virtutes Ethici sexti ad Nichomacum capite 13. Ex natura vero seu ex his virtutibus proficiscūtur actiones, in quarum observatione ars consistit; ut idē Topico octavo innuit. Promptum & paratum in disputatione ingenium requiritur. Et hoc est secūdum veritatem bonum ingenium, posse recte sequi verum, & fugere falsum: quod qui bene nati sunt, possunt expedite facere. Quamobrem concludamus licet, artem in

observatione naturæ versari. Deinde sequitur ars. Ars igitur legis, est doctrina præcipendi honesta, turpiaque prohibendi. Legis autem ferendæ & conservandæ potestas illius est: cui Deus de peccatis potestatem decernendi attribuit. Hic scilicet est Pótifex maximus. Necnon & eorũ, quibus de rebus publicis bonisque fortunæ statuendi potestas est: quales sunt Imperator, Reges, & reliqui Principes ac Magistratus: de quibus postea. Hic Principum & Magistratuum, qui leges ad gentes ferre easq; conservare debent, mentionẽ facimus: ipsorum autem doctrinam in finem artis & doctrinæ legis rejicimus: ubi ante exercitationem de iis dicendum: omniumque ordines, gradus & officia distinguenda, & diligenter perscribenda sunt. Sequitur artis particula de subjecto, quod circa legis præcepta occupantur. Id vero, de quo præcipiuntur honesta, turpiaque prohibentur, actio est; ubi voluntas & effectus primum cósiderantur. Tum duæ species actionis quarum altera solius animi est altera etiam corporis. Quæ rursus explicatio exemplis illustrada. Deinde ad artis partitionem accedendum. Doctrinæ legis sũma & media genera nulla adhuc vera cognovimus: ut tamẽ ars distinctius exponatur, utcunque licebit, ex circunstantiis partiamur. Prima legis partitio est, ut alia sit communis, alia propria. Cómunis in præceptis ad multos pertinentibus versatur. Quæ rursus gentium, aut civilis est. Gentium ad vniuersum genus humanũ attinet. Eaque insita, aut assumpta. Insita, quæ in actionibus ipsis hæret. Quæ prima est, aut orta a prima. Prioris generis quædam princeps est sive subjecta, quædã adjuncta. Princeps in iis rebus versatur, quæ principem in actionibus quibuscunque locum tenent. Quæ volun-

bus versatur, quæ cōsilii participes sunt. Eaque aut per se, aut extrinsecus irrumpens. Voluntaria per se in his rebus versatur, quæ sponte fiunt: quæ divina, aut humana dicitur. Lex divina circa Dei cultū occupatur: cujus duæ sunt partas. Prima legis divinæ pars, ut Deo adhærescere valeamus præscribit. Altera qualem de Deo fidem habere deceat, continet. Quæ tres in species tribuitur. Primum genus, qualem Deum qualemque naturam divinam habere deceat, præscribit; cujus generis præcepta hæc sunto.

Deum unam tantum naturam, tres vero personas patrē, filium, & spiritum sanctum habeto.


Unamquāque personam Deum, unum tamen Deum habeto.


Patrem Filium, & Spiritum sanctum inter se pares, & æquales habeto.

Patrem neque factum, neque creatum, neque genitū; Filium a patre solo genitum; Spiritum sanctum ab utroque procedentem habeto.

Dei nullum asse principium, nullumque finem habeto.

Præceptis autem quæ aliquid jubent, vetantve, præcepta, quæ in transilientes lineam pœnam decernunt, subjicienda sunt. Si pœna plurium præceptorum cōmunis fuerit, locis communibus: si alicujus præcepti propria, locis propriis. Unicuique vero præcepto cū res feret, species aliqua pro exemplo ex jure Pontificio, aut Cæsariano subjungenda. Canones conciliorum præceptis ipsis comprehēdentur. Nūc figuretur hic primis rerum notis artis legis partitio his literis comprehensa, quæ quod dicimus, oculis etiam spectandum proponat.





- Lex
  - Ars naturā instruens.
    - Doctrina
      - Communis.
        - Gentium
          - Insita.
            - Prima.
              - Princeps
                - voluntaria
                  - Per se
                    - Divina
                    - humana
                      - Publica.
                      - Privata.
                  - Per extrinsecus
                    - Cōsilio.
                      - Fraudis
                      - Metus
                    - sine consilio ut fortuitus irruina, cū quis domū proximi destruit ne ad se incendium perveniat.
                - Nō voluntaria, pauperies, aquiliæ pars, ruinæ, alluviones, insulæ.
              - Adjuncta, conditiones, modi, & dies.
            - Orta solutiones, & liberationes,
          - Assumpta, cautiones jurisjurandi, fidejussionum, pignorū testimonia.